PRO MILDAPETTIDE VNICA METHODO DEFENSIONE CONTRA DIPLODOPHILUM, COMMENTATIO GVLIELMI TEMPELLI, E REGIO COLLEGIO CANTABRIGIENSIS.

BIBL. CANT. ACAD.

HUC ACCESSIT NONNVLLARUM e physicis & ethicis quæstionum explicatio, unâ cum Epistola de RAMI dialectica ad JOANNEM PISCATOREM Argentinensem.

LONDINI,
Pro Thoma Man.
ANNO 1581.

70;00

Illustrissimo Domino,

Domino Philippo Comiti Arundellio Mecænati suo.

Quod superiore anno efficere conatus sum, (Illustrissime Mecænas) ut scilicet erga amplitudinem tuam publicum aliquod testimoniũ extaret observantiæ meæ: idem nunc in re consimili perlibenter quidem aggredior. Sed tum velut refugiens a luce, & sub nomine Mildapetti delitescens, comitis Arundellii virtutem prædicavi. Nunc deposita persona hominis Nauarreni, & tamen potius tempori, quàm verecundiæ meæ obsecutus, lucem aliquando tandem aspicio: equidem ad proferendum fructum ingenii perinvitè, ad testandam observantiam libentissimè, penè dicam necessario. Quis enim est qui non de tuo erga literas excellenti studio fateatur? Non incommodè res habet, si beneficium vel a quovis literarum disciplina acceperint: præ-

clarè verò, si id fiat ab iis, quibus amplioris fortunæ conditio est. At si homines generis nobilitate clarissimi, & dignitatem amplissimæ in rep. personæ sustinentes ad amplificandæ doctrinæ studia accesserint: id profectò tale est, ut admiremur potius quàm laudemus: non quòd laude & prædicatione non sit dignissimum, sed quòd ita magna res sit, omnem ut laudem superasse videatur. De te igitur (Honoratissime comes) quid statuendum est? si amplissimi generis splendorẽ quærimus, gloria familiæ & stirpis claritate antecellis: Si gradum in repub. spectamus, quis ferè illustriorem desideret? Si opum, & facultatum magnitudinem attendimus, tanta est quantam & alii prædicant, & ego tibi contigisse lætor. Ac cùm hisce omnibus tantopere excellas, in quibus penè singulis magna vis inest ad animum avocandum a cogitatione Musarum & Academiæ, sic tamen de literis præclarè sentis, ut Academiam profiteri videaris. Magna virtus profectò, & in homine nobili singulare ornamẽtum. Apud Phæacas non mediocre nomen consecutus est, ut refert Homerus, si quis ad illa nota certamina artificium palæstræ & lacer-

lacertos attulisset. Hinc apud eos e pugna laurea Laodamantis, e saltatione laus Amphiali, e disco palma Elatrei, e lucta corolla Euriali, e cursu gloria Clytonei efflorvit ac redundavit. Nec herclè negarim e palæstra & circo insigne decus ad illustrandam nobilitatem accedere. Sed tamen campus ille literarum & Academiæ ejusmodi est, ut quælibet olympia & palæstram superet: utpotè in quo Nobilitas ad perennem gloriam & admirationem excurrat. Hunc tu campum cùm tibi tua sponte proposueris, quis tuam virtutem non prædicet? quis non admiretur? Mihi certè præter cæteros ad exprimendum officii & observantiæ testimonium privatæ quædam justissimæq; causæ acceſſerunt. Nam quæ mihi vel ad vitam subsidia vel ad cultum ingenii adjumenta suppetunt, ea ab honoratissimo Comite Arundellio profecta esse fateor & agnosco. Ac proindè, ut quod privatim agnosco, id publicè etiã profitear, affero ad te (illustrissime Mecænas) commentationem quandã exilem fortasse & indignam quæ ad præstantissimum Comitem mittatur, attamen satis gravem testem meæ erga amplitudinẽ tu-

um observantiæ & gratissimæ voluntatis. Emissa est adversus Mildapettum non multis ab hinc mensibus pro duplici methodo invectiva. qualis vero? Si aculeum multiplicis convitii & importunitatem excogitatæ calumniæ spectemus, nata in circulis non in Gymnasiis Academiæ: si rationem disceptationis pro methodo institutæ, toto genere nugatoria & levicula: sic ut potius vota facere contra unicam methodum quàm arma ferre videatur. Ego contrà ad defensionem existimationis meæ, cui perpetuam illa invectiva labem inurere conata est, peroravi: & unicæ methodi dignitatem oppressam ponderè testimonii, ac fraudulento sophismate oppugnatam, quantum consequi poteram, vindicavi. Sed desciviſti (dicet aliquis) ista in thesi ab Aristotele. Sanè verò, si tuendæ veritatis ergô, quis reprehendet? At calumnia isthæc est & commentum peregrinantis ingenii. Nam cùm multa in Aristotele dicuntur præclarè, tum illud de methodo certè optimè: unicam esse vult non duplicem: progredientem perpetuò a generalibus, nunquam a specialibus inchoatam: adeo ut quæ a me ad ornandam unicæ methodi

thodi dignitatem afferuntur, ea ad ſummam Ariſtotelis gloriam diſſerantur. Non igitur, qui unicam methodum tuetur, ſed qui duo methodorum genera conſtituit, Ariſtotelicæ diſciplinæ adverſatur. quod ſi quis ad rationem hujus controverſiæ cognoſcendam non vim præjudicatæ opinionis ſed judicii libertatem, non ullam temeritatem ſed cogitatam animi æquitatem, non caliginem ſpinoſæ ſubtilitatis ſed lucem dialecticæ ſapientiæ attulerit: non dubito fore ut cum Ariſtotele unicæ methodi & utilitatem prædicet & dignitatem exornet. Vt verò cunqueres cecideris, peto abs te (præſtantiſſime Mecænas) ut commentationem iſtam in eam partem interpretere, profectam ut eſſe putes ab homine tuæ Amplitudinis obſervantiſſimo.

Amplitudinis tuæ obſervantiſſimus *Guilielmus Temple.*

GULIELMO Tempello *Joannes Barnſus.*

MAgna mihi dubitatio viſa eſt (Tẽpelle chariſſime) cùm in libellum tuum caſu quodã deveniſſem, utrũ difficilius eſſet vel privare te debito teſtimonio voluntatis meæ: vel homini graviſſimo atq; optimo in ſuſpicionem ſimultatis incidere. Sed cùm cogitarem amicitiam indignitate læſam difficilius ſanari, quàm conjecturam iniquitate ſuſceptam refelli: multoq; eſſe gravius, ab amico deſiderari operam, quàm ab inimico reprehendi: ſatius eſſe ducebam, me qui non ſim videri; quàm qui eſſe debeam non exiſtere, aliisq; quod ſuſpicentur potius, quàm tibi quod accuſes, dare. Quanquam hercle nõ ſum neſcius, fore multos qui in propugnatione hac

tua

tua exiſtimationis & judicii tui, pacem publicam infringi, & ſtudiorum tranquillitatem labefactari inſimulent; mihi quoque quòd laudi tuæ faveam vitio dent; meumque in te ſingulare ſtudium, amoriſque magnitudinem, turbulenti neſcio cujus ingenii, ſeditioſæq; voluntatis infamia cupiant obſcurare. Qui ſanè homines (graues illi nimirum & politici) & ſuum in re tali ſenſum produnt, & in comparanda defenſione inſtitutum tuum non attingunt magiſque quid ipſi velint magnificè; quàm quid res ferat acutè judicant. Quorũ quidem certè cogitationes non vitupero: ſunt enim altæ honorificæq; & Ajacis quiddam ſimile profitentur: qui dicendo ſuperatus vim cœpit meditari: vel etiam Herculis illius quem Magiſter de muſica docens aſperius, fide, quam habebat in manu, ictum homini vehementem inflixit: ſimulque & illum vita, & ſeipſum diſcendi opportunitate privavit. Nos verò ſi placet Martes iſtos in aciem & caſtra relegemus: lites Academicorum ab ingenio potiſſimum, & ſubtilitate judicandi na-

tę

tæ atque ortæ, quieto tranquilloq; exitu concludi debent: ne quantum laudis ad acumen, vel ornatè dicendo, vel argutè disceptando affingitur: tantum de vita atque moribus maledicendi libidine detrahatur. Quo in genere satis admirari non queo, hominem philosophũ & in studio rerum magnarum incredibiliter versatum tantisper gravitatis suę excellentísque in omni genere rerum scientię oblivisci, dum tecum de methodo intemperanter litiget, ipsamq; adeo philosophiã, quam omnes gravitate quadam & moderatione sermonis matronã vocant: altercandi importunitate meretriculam efficiat. Cui tu quidẽ, (optime Tempelle) pro tua humanitate ignoscere & potes & debes: cùm multò difficillimum sit ingeniosos pariter & eloquentes si semel incalescere cœperint ab injuria sibi temperare impuritateque verborum. Quanquã sanè istuc durum fuit: sed multò magis illud, quòd ad eorum famam lędendam, quibuscum nulla ipsi unquam offensionis causa intercedebat, ex æde Petri florentissima, pecus sibi quod-

quoddam ad injuriæ ſocietatem aſciverit Neutiquã apud ſe ſatis deliberatum habens, plus ſibi ex hominis obſcuriſſimi neceſſitudine ignominię, quàm ex opera commodi redundare. Quem ego virum cùm odiſſe certè nollem, invidere propter indignitatem non poſſem: ineunte jã æſtate ita profectò illi bene precari cępi:

Muſcoſi fontes, & ſomno mollior herba,
Et qua vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solſtitium pecori defendite.

Mali autem ei, vel nihil certè vnquam, vel ſanè non plus eo volumus accidere, ut ſui ſemper ſimilis exiſteret. De verò Diplodophilo tuo (quo nomine abs te excellentem virum deſignari puto) equidem angor animi cujus ingenium ſemper fim admiratus, ejus nunc demum ſapientiam in diſcrimen venire. Quem cùm antehac in ſcholis publicis, vel lectitantem dialecticè, vel philoſophicè diſputantem audirem, ita mihi certè viſus eſt in ſumma ſubtilitate diſertus, ut & ipſum ſępius, & eos quos inſtitueret memoria repetens: Virgilianum illud ſoleam

leam dicere, *Formosi pecoris custos, formosior ipse:* in hominis diuinissimi gratiã vel universam certè Eclogam recitaturus.

Cœpit ex eo tempore consuetudo quædam loquendi floridior in Academiæ spaciis efflorescere: quã ille rerum maximarum studiis delectatus, si contempserit, quid habes quo magis hoc ipsum jejunitati tribuas, quàm ascribas sapientię? Etenim & Chrysippus isto modo & plerique veterum locuti sunt, quorum ille exemplis adductus, rerum sapientiam maluit, quàm verborum eloquentiam consectari. Tuæ verò (Tempelle optimè) commentationes & studia, in dissimili genere constiterunt. Quem cùm videam ad scientiam cognitionemq; philosophię dicendi quandam cõtulisse politam & artificiosam viam: probe mihi videor intelligere, quantopere ab illis dissenseris, qui acutissimè perceptas res, non satis commodè & prudenter eloqui potuerunt. Quo sanè in genere quantum sis assecutus (quòd paulùm homines in amicorum rebus fas esse censeant ementiri) dicant illi qui vel Navarrenas commenta-

mentationes tuas vel earundem defensionem legendo percurrerint. Equidem & causam probo qua commotus ad dicendum contra immanes calumnias accessisti: & maluisse te potius mulierculari rixas illas, modestia refutare, quàm eadem acerbitate perstringere, vehementer laudo. Ac sanè puto non minus abs te pulchrè methodos eleganterque refelli: quàm ab illo ineptè & oscitanter defendi. Te certè ipsum (mi Tempelle) propter necessitudinem quæ perpetuò mihi tecum maxima intercessit, vehementer diligo. Vale, nosque ut facis ama.

Pro Mildapetti de vnica methodo defensione contra Diplodophilum commentatio.

SI quantum ad conuitiandum acerbitatis, tantum ad refellendum Mildapettum iudicii attulisses: equidem (Diplodophile) non modo hominibus Anglis, sed Philosophis etiam transmarinis industriam tuam & ingenium probauisses. Sed dum te ad contumeliam maledicti comparas, non autem disserendi subtilitatem meditaris, adeò vt conuitiator videri malis quam grauis rerum æstimator: verendum tibi est, ne & boni viri nomen petulantissimè maledicendo amiseris, & Rameæ methodi dignitatem potiùs calumniando confirmaueris, quàm infregeris disserendo.

Quid enim pro duplici methodo opponis? Quid Mildapetto excutienti Theoriam dialogi tui, & luce clarissimæ rationis eandem dissipanti respondes? Vicit certè tua responsio opinionem meam: siue id factum est rei natura, siue imbecillitate ingenij tui. Etenim dum gradum Magisterij quem eras annis abhinc septem assecutus contemplabar, & labores quos in euoluendis Philosophorum libellis propè infinitos exhauseras memoria repetebam,

bam, opinabar ferè vt quam te cunque in partem dediſſes, magnum aliquid & ſpecie argumentorum illuſtre profertes: nec dubitabam quin bacchalaureum vix mediocriter inſtructum artibus, ſi quid de commentationum tuarum gloria ratiunculis neſcio quibus minuiſſet, obruere diſſerendi ſubtilitate & copia potuiſſes. Nunc verò contra Mildapettum quid affers? reſponſionem ſcilicet (ſic enim inſcribitur) at quam tandem? eam mediusfidius quæ meritiſſimò poſſit vt ſilentium a non ſilendo, ſic reſponſio a non reſpondendo nominari. Video duabus illam partibus totam contineri: quarum eſt in altera conatus inurendæ contumeliæ: in altera ſtudium duplicis methodi confirmandæ e peripateticæ authoritatis argumento. Vt contumeliam inuras, affers tu quidem orationis & mirificam inſulſitatem, & ſingularem e conuitij acerbitate virulentiam. Commouetur profectò vehementer homo ſapiens, quòd ego e cæteris omnibus vnus auſim elegantiſſimi dialogi theorijs velut litem intendere, & emiſſo refutationis libello de earum leuitate conqueri ac inſectari vanitatem. Hinc eſt quod mihi toties ſummam arrogantiam, inſignem audatiam, admirabilem impudentiam obijciat. Atqui verò, (homo verecunde) quid agis? Niſi tanti & tam frequentis conuitij importunitatem audirem, vererer hercle ne cui ipſe mihi præuaricatorem appoſuiſſe viderer. Nam cum me vituperandum ſuſceperis, id certè affers, quod in magna laude verſatur. Quis enim non præclarum eſſe duxerit adulterinis & aliundè emendicatis theorijs obſiſtere? barbariem inueterati ſophiſmatis profligare? tueri denique rationes præclariſſimæ diſciplinæ? Verùm cui potius defenſio P. Rami ſuſcipienda fuit

quam

quam illi, qui ſe Rameis inſtitutis plurimum debere fateatur? Quamuis in Cantabrigienſi Academia, quæ iamdiù fuit literarum ornamẽtis florentiſſima, per ſane multi extiterunt qui pro varietate doctrinæ & maturitate iudicij munus illud cum tanta laude ſuſtinere potuiſſent, quantam ego ſi ſperarem aliquando amens eſſe videar: tamen vix æquum videbatur eruditiſſimorum hominum ingenia ad refutandam ſophiſtæ loquacitatem demitti: adeò vt tametſi Rameæ doctrinæ ſuſcepta defenſio digna res eſſet quæ ipſorum ingenio ac facultate, id eſt, excellenter & perornatè tractaretur: at tu indignus tamen extitiſti, quocum illi tam præſtantes viri in certamen deſcenderent. Quid quod parum conueniebat, quocum in rerum pulcherrimarum ſtudijs elaborarent cogitationes & vigiliæ, eorum ad alia leuiora diſtrahi induſtriam & auocari? Non igitur ego audacior quam cæteri, ſed tu indignior quàm vt cæteri tecum certare debeant: nec in eo plus mihi arrogo, ſed plus illis tribuo: nec cuiquam laudem diligentiæ præripio, ſed in robuſtiore aduerſario quærendam eſſe moneo. Quinetiam feci id quod in ſolitudinem emigrantibus ij, qui iam ſeſe domum e ſolitudine receperunt. Nam vt rationem multiplicis diuerticuli narratione quadam expediunt, monent de ſalebris & aſperitate itineris, prædicunt imminentis vim periculi, & cætera incommoda ſuſceptæ peregrinationis exponunt: ſic cum ego in ſophiſtarum peripâto non mediocri iactura diutius peregrinatus ſim, facio perlibenter, vt in quæ ipſe ſophiſmatum pericula aliquando inciderim, ea cæteris prædicam, & multo ante dẽnuntiem. Neque verò me illud magnopere mouet, quia mihi tecum eiuſdem Academiæ communio

bam, opinabar ferè vt quam te cunque in partem dediſſes, magnum aliquid & ſpecie argumentorum illuſtre proferres: nec dubitabam quin bacchalaureum vix mediocriter inſtructum artibus, ſi quid de commentationum tuarum gloria ratiunculis neſcio quibus minuiſſet, obruere diſſerendi ſubtilitate & copia potuiſſes. Nunc verò contra Mildapettum quid affers? reſponſionem ſcilicet (ſic enim inſcribitur) at quam tandem? eam mediusfidius quæ meritiſſimò poſſit vt ſilentium a non ſilendo, ſic reſponſio a non reſpondendo nominari. Video duabus illam partibus totam contineri: quarum eſt in altera conatus inurendæ contumeliæ: in altera ſtudium duplicis methodi confirmandæ e peripateticæ authoritatis argumento. Vt contumeliam inuras, affers tu quidem orationis & mirificam inſulſitatem, & ſingularem e conuitij acerbitate virulentiam. Commouetur profectò vehementer homo ſapiens, quòd ego e cæteris omnibus vnus auſim elegantiſſimi dialogi theorijs velut litem intendere, & emiſſo refutationis libello de earum leuitate conqueri ac inſectari vanitatem. Hinc eſt quod mihi toties ſummam arrogantiam, inſignem audatiam, admirabilem impudentiam obijciat. Atqui verò, (homo verecunde) quid agis? Niſi tanti & tam frequentis conuitij importunitatem audirem, vererer hercle ne cui ipſe mihi præuaricatorem appoſuiſſe viderer. Nam cum me vituperandum ſuſceperis, id certè affers, quod in magna laude verſatur. Quis enim non præclarum eſſe duxerit adulterinis & aliundè emendicatis theorijs obſiſtere? barbariem inueterati ſophiſmatis profligare? tueri denique rationes præclariſſimæ diſciplinæ? Verùm cui potius defenſio P. Rami ſuſcipienda fuit

quam

quam illi, qui ſe Rameis inſtitutis plurimum debere fateatur? Quamuis in Cantabrigienſi Academia, quæ iamdiù fuit literarum ornamẽtis florentiſſima, per ſane multi extiterunt qui pro varietate doctrinæ & maturitate iudicij munus illud cum tanta laude ſuſtinere potuiſſent, quantam ego ſi ſperarem aliquando amens eſſe videar: tamen vix æquum videbatur eruditiſſimorum hominum ingenia ad refutandam ſophiſtæ loquacitatem demitti: adeò vt tametſi Rameæ doctrinæ ſuſcepta defenſio digna res eſſet quæ ipſorum ingenio ac facultate, id eſt, excellenter & perornatè tractaretur: at tu indignus tamen extitiſti, quocum illi tam præſtantes viri in certamen deſcenderent. Quid quod parum conueniebat, quocum in rerum pulcherrimarum ſtudijs elaborarent cogitationes & vigiliæ, eorum ad alia leuiora diſtrahi induſtriam & auocari? Non igitur ego audacior quam cæteri, ſed tu indignior quàm vt cæteri tecum certare debeant: nec in eo plus mihi arrogo, ſed plus illis tribuo: nec cuiquam laudem diligentiæ præripio, ſed in robuſtiore aduerſario quærendam eſſe moneo. Quinetiam feci id quod in ſolitudinem emigrantibus ij, qui iam ſeſe domum e ſolitudine receperunt. Nam vt rationem multiplicis diuerticuli narratione quadam expediunt, monent de ſalebris & aſperitate itineris, prædicunt imminentis vim periculi, & cætera incommoda ſuſceptæ peregrinationis exponunt: ſic cum ego in ſophiſtarum peripâto non mediocri iactura diutius peregrinatus ſim, facio perlibenter, vt in quæ ipſe ſophiſmatum pericula aliquando inciderim, ea cæteris prædicam, & multo ante denuntiem. Neque verò me illud magnopere mouet, quia mihi tecum eiuſdem Academiæ communio

intercedit (quod tamen alioqui volo apud me valere plurimum) si contendas idcirco me contra theoriæ tuæ insolentiam venire minus debuisse. An ego non venirem contra errorem pro veritate? & leuiculam acroasin pro excellenti disciplina? Non venirem contra oscitantem subtilitatem arreptam e schola Aquinatis pro vtilissimi præcepti elegantia? Non venirem contra calumniam pro existimatione integerimi hominis? Quanquam vtcunque tibi, quia & Anglus & Cantabrigiensis es, contra gloriam P. Rami aliquid debeam, quod tamen vel nihil est si insolenter postulas, vel non ita magnum si humaniter exspectas: certè debere me tibi aliquid contra veritatem Rameæ disciplinæ nunquam confitebor. Parum conuenit ita frigere nos in studio tuendæ veritatis, vt vel ipsis amicis oppugnantibus non eidem succurramus. Sed id a te fortasse contumeliam audaciæ & arrogantiæ expressit, quod aduersus egregium tot annorum in artibus magistrum nescio quis de vulgari nota bacchalaureus suscepto vnicæ methodi patrocinio dimicarit. Quid? Visne licere artium magistris vt intermortuas reliquias Dorbellismj excitent, bacchalaureis verò interdictum esse vt coerceant excitatas? Nunquid turpius est defendi a bacchalaureo veritatem, quam a magistro eandem oppugnari? si a magisterij dignitate alienum esse putas ab inferioris fortunæ hominibus reprehendi, quid est cur non id tibi alieniſſimum videatur in errorum delirijs conseneſcere? Sed intelligo iam tandem quid placeat. Animus tuus alium quiddam & magnificum spirat: ita vt, quemadmodum Alexandro cum solis regibus, sic tibi cum solis artium magistris congrediendum sit. Equidem non tam doleo

excludi

excludi ab iſta palæſtra & circo bacchalaureos, quàm lætor ita mecum nuperrimè in Senatu clariſſimæ Academiæ fœliciter actum eſſe, vt mihi nunc fas ſit beneficio delati magiſterij cum artium magiſtro in arenam deſcendere. Hic ego me (ornatiſſimi Cantabrigienſes) in commemorationem beneficij Veſtri facilè patior incidiſſe. Quàm enim erat temporibus oportunum? quàm illuſtre ſtudijs amicorum? quam eſt commoditate præclarum? quàm honeſtum dignitate? Vtinam quantum voluntatis affero ad huius colendam memoriam beneficij, tantum & ingenij ad gratiam prædicandam & facultatis ad referendam afferre potuiſſem. Næ ego cum vobis vniuerſis tum etiam Regiæ familiæ, quæ vt rerum cæterarum apparatu, ſic propter enatam in ipſa ingeniorum vbertatem, doctrinarum gloria antecellit, non ſolum officio gratiſſimæ voluntatis, ſed teſtimonio conceſſæ facultatis ſatisfacerem. Sed vt eo ſe referat vnde deflexit oratio, vides (Theoripoie) ſubeſſe nihil adhuc cauſæ cur in meum nomen ignominiam audaciæ, notam arrogantiæ, labem impudentiæ conferendam arbitrere. Vis opinor concedi iſta dolori tuo: quem e refutata dialogi tui ſapientia cepiſſe te veriſimilè eſt. Ac profectò cuius iamdiu rumuſculis & auræ populari velut ancillantur theoriæ, cum illas videt hominum iudicijs repudiatas, & voce veritatis fractis planè ac quaſi elumbes concidiſſe, eum magnitudine doloris obrui neceſſe eſt. Inde extitit crebra illa theoriæ tuæ deploratio, cum moleſtiam e Mildapetti admonitione ſuſceptam ſæpe in amicorum ſinu ac ſermone deponeres, & mirari te diceres quid eſſet quod præ cæteris tui ingenij fœtus (ſic enim appellare placuit vt audio) illuderetur

nonnunquam, & a quibuſdam exciperetur aſperiùs. Niſi ipſe tibi nimiũ placeres, mirum id tibi minimè videretur, cum vniuerſam conformationem attenderes & lineamenta fœtus tui: quem, perſapienter feciſſes, ſi medicamentis quibuſdam abegiſſes. Non enim præclariſſimam ſpem parentis, non æternam memoriam nominis, non ſingulare ornamentum peripateticæ familiæ diſſipaſſes, ſed fœtum diuaricatis cruribus & reliquarum partium deformitate inſignem, euerſorem paterne glorię, buſtum elegantioris diſciplinæ, dedecus Ariſtotelici Lycæi ſuſtuliſſes. Inde porro eſt quod initio epiſtolæ, quæ reſponſioni tuæ præfigitur, de dolore illo, quem tibi attulit Mildapettus, multum conquerare. Sed hic conſolatus videlicet es ipſe te, & omnem tibi metum excidiſſe ſcribis poſtquam Mildapettum diligentius expendiſſes. Quid putem? ſuccũbuiſſe te dolori? id certè exiſtimo fingi a te conſolationem iſtam, ne in mœrore ipſe te proieciſſe nimis ac profudiſſe videare. Etenim excellentiſſimi dialogi non opinata calamitas velut direptio lautiſſimę ſupellectilis, ita animũ tuum affecit vehementer, & quodamodo fregit, vt Homericum illud Helenæ pharmacum ad eleuandam & diluendam triſtitiam deſideres. Tu ſic inhumaniter cum Mildapetto & furenter ageres, niſi infœlicitate mœreres ingenij tui? Tu eum deridendum cæteris & miſerè exagitandum propinares, niſi dialogum lugeres? Tu in quouis pene congreſſu fremeres tantopere & inclamares, niſi theoriæ tuæ vaſtitatem deſleres? Recognoſce mecum ſcenam illam, quam ad contumeliam Mildapetti ornaras & inſtituerας. Ecquid iam pudet in magna ornamentiſſimorum

norum hominum celebritate a perſonatis Academicis tam malitioſè traductum eſſe? Hiſtrionibus etſi eos alienæ libidini nimis diligenter inſeruiſſe video, tamen libenter ignoſco. Ignorant herclè totum iter veræ gloriæ, ſi quærendam in ſcena, & petendam e perſona comicæ leuitatis arbitrantur. Verùm ſcena iſta, fortaſſe quòd comica eſſet, dolori tuo non fecit ſatis: tragœdiam meditaris. Exturbandus ſcilicet e finibus Academiæ Mildapettus: prohibendus a gradu magiſterij: a fructu anteactæ vitæ & communi libertate excludendus. Hinc illud in reſponſione tua:

> Intollerabili æſtu coquens & ebulliens excede, euade, erumpe ex ordine quo nunc es in Academia locatus.

Dum ad iſtam tragœdiam incumbis, nonne Mildapettum luculenter & eruditè refellis? Nonne eum pondere grauiſſimæ theoriæ ſubtiliter opprimis? Nonne bipartitæ methodi dignitatem eleganter magnificeque vindicas? Hæc ſunt illa ad tuendum Ariſtotelem quorundam ſophiſtarum *cryptica*, conuitiari, fremere, calumniari, delationem nominis minitari, e finibus Academiæ exturbare. Hæc illa arma quibus ſe ab impetu tuentur exquiſitiſſimæ rationis. Hæ illæ haſtæ quibus ad feriendum aduerſarium proludunt ſæpiſſimè ac velitantur.

Hijs tu ad exornationem inſtitutæ tragœdiæ vtebare: & niſi actores defuiſſent, extremum actum confeciſſes. Quid enim non aggreſſus es? quid conſilij non iniuiſti? Viam non mediocri gratia

muniebas: munus velut alicuius candidati obibas diligenter: hominum sensus pertentabas, & eosdem pro tua singulari humanitate aduersus Mildapettum irritabas. Atque ita fuerunt non paucorum suffragia vel collecta artificio rogandi, vel expressa criminationibus & calumnijs, vel blanditijs euocata. Sed neutiquam ista tibi ex sententia processerunt: plus Mildapettus potuit e studijs amicorum ad se defendendum, quam tu ad oppugnandum. Ac cum temporum iniquitas (quomodo enim tibi secùs videri potui?) rationem consilij tui peremisset: ab aperta vi ad fraudem & clandestinas insidias recessisti. Quid est? num fingo? quàm graue est id inficiari non posse, quod sit miserrimum confiteri? Subornati igitur nonnulli, qui Mildapetto aliquid negotij facesserent: qui eundem quasi furtim arroderent: qui fugæ similem pugnam exercerent. Ausus est tamen emissarius nescio quis, credo quòd theoricis sacris initiatus homuncio lasciuiret, non modo sese apertè reluctando hostem profiteri, sed veteribus institutis, & receptæ consuetudini obnitendo integram familiam prouocare. Verùm præclarè cecidit. Nam & administer cupiditatis tuæ, qui frustra nescio vnde ad obganniendum emersisset, coactus obmutuit: & ego pro more Academiæ in magistrorum ordinem ascitus sum. Vbi iam illa consolatio? quam te animaduersa & explorata admonitionis meæ leuitate accepisse vis? Vbi depositæ anxietatis ostentatio? Insedit altius in mente tua dolor, quam vt tam leui consolatione euelli possit. Quid quòd augeri cum necesse sit, dum ab eo te admoneri reprehendiq; cogitas, *Cui tu olim in schola Dialectica* (istis enim verbis de violata ratione officij conqueris) *vtriusq; methodi præceptor & præmonstrator eras.*

Dissensit

Dissensit a magistro Platone diuinissimo homine discipulus Aristoteles: Quidni & discipulus a magistro Diplodophilo? Patiare quæso mihi antiquiorem videri veritatem, quàm authoritatem magistri. Non vereor ne quis me erga te ingratum dicat, a quo nunquam gratiam acceperim. Nisi fortè id beneficium esse ducas, quod emissa theoria Cantabrigiensi iuuentuti non artificium ratiocinandi & legem tradideris, sed incantatione nouellæ subtilitatis tributam a natura disserendi facultatem conatus sis eripere. Ac cum mihi *fatuitatem ineptias, loquacitatem, insaniam, rabiem, Iuliani Apostata impietatem, intolerabilem eloquentiam, inanem verborum spumam, oris impudentiam, delirum* obijcis (obijcis autem sæpissimè) cum etiam *petulanti procacitatu vomitu* (ecquid verba agnoscis?) me *impudentissime debacchari* contendis & innumerabilia extremæ dementiæ cõuitia effudisse: caue ne id tua culpa factum sit: caue ne ista a te (erudite magister) didicerim. Ita te ad frequentis maledicti petulantiam comparasti, tanquam infinita procacitate linguæ sordes turpiculæ theoriæ elui potuissent. Sed quid est cur insanum me & dementem appelles? Hic tibi satisfacere non potuisti quin vehementer exclamares:

> O Phœbe, qualem eo tum die radium emisisti, cum primum insanire cœpit Mildapettus? Quis Phœbi effectus in vno homine vnquam contigit horribilior? Quod immodesti ingenii monstrum tetrius excogitari potest?

Ego tibi (Theoripoie) pro isto tam importuno & scurrili maledicto, perpetuam mentis sanitatem exopto: & moneo vt quam tibi in omni vita animi moderationem proposuisti, eandem etiam in oratione exprimas & consectere. Istud verò de impietate quod dicis quale est? Effingi a me nescio qua imitatione personam sceleratissimi apostatæ Iuliani

vocife-

vociferaris, vt nimirum si reliquis convitijs existimatio nominis mei minus violetur, isto saltem confodiatur ac juguletur. At cur ad istud convitium prorupisti? dices me verbis Iulianj apostatæ vsum esse et præclarè. Tùne censes esse verba ista Iulianj. Apostatarum propria? Subvereris opinor ne si quis idem loquatur quod tu, existat statim novus Theoripoius Qui verò interim te a Davj Terentiani nomine vindicabis? qui etiam a Plautino histrione? Cum dicis *Davus es non œdipus*, idem dicis quod apud comicum poetam Davus. Cum me *malacissandum esse* clamitas, idem clamitas quod Plautinus histrio. possem hic multa de verborum vsu interponere: possem vberius demonstrare impios a pijs vt non liberali cultu ingenij, non apparatu corporis, non externæ vitæ subsidijs: sic nec verborum vsu & sermonis consuetudine sejungj. Sed ideo me fortasse cum impurissimo Apostata contulisti, quòd vt ille a diuinissimis institutis Christianæ religionis, sic ego a decretis Aristotelicæ philosophiæ desciuerim. Quod si olim Peripatetici organi argutias sequebar, (vt certé me integrum triennium in eisdem pene superstitiosè contriviſſe fateor ita vt quicquid Aristotelica ambulatio peperisset, in eo nescio quid splendidj messe arbitrarer) magis est, vt ipse angar animi, me in errore tamdiu constitisse, quàm vt vllius defectionis crimen reformidem. De objecta verò eloquentia quid dicam? istam hercle contumeliam nunquàm tam acerbe feram me vt pœniteat non a barbara & theorica loquendi formula eruditum esse. Quàm stultè tibj venit in mentem redigere in memoriam nostram tibj dicendj copiam displicere? An verebare ne te, cum tuam barbariem intueremur, & ridicula eloquendj ornamenta videremus, etiam diser-

tum

tum putaremus? Nam quod de conuitiorum licentia obijcitur, cuius tandem ſtultitiæ eſt conuitiandi & debacchandi mentionem facere? cum popinas excutiat & perquirat neceſſe ſit, qui in Diplodophili ſimilem velit incidere. At negabis id ita eſſe: negabis licenter debacchatùm eſſe te. Quaſi e publicatione reſponſionis tuæ non peruulgata iam & hominum ſermonibus percelebrata res ſit. Id tamen hominum opinio non comprobaret, niſi Mildapettum in illa inuectiua fingeres Piſoniana & ſecunda Philippica turpiorem. Nec verò vllius maledicti veritatem affers vt religioſus diſceptator, ſed confícti criminis iniquitatem vt accuſator iracundus. Ac ne quis iſta me comminiſci putet, reliquorum conuitiorum curſum attendat.

Mildapettus eſt ignobilis & ignotus: ideoque ais te cuiquam ignobili reſpondere dedignari. Eſt ſophiſta & corruptor iuuentutis: eſt contemptor aliorum: attribuit infantiam hominibus nobiliſſimis: eſt nouus Apollo: eſt verbaliſta: Sex menſes in elecubranda admonitione propter tarditatem ingenii & penuriam cerebri conſumſit: publicatio librorum authore Mildapetto arguit naturæ curſum mutatum eſſe

Ecquid niſi inſigniter conuitiando labem exiſtimationi tuæ aſperſeris, parum declaratum eſſe putas, te à Mildapetto opinione, & iudicio diſſentire? Cõſiderate feceris ſi linguæ tuæ ceream effigiem Charitum numini immolaueris, vt ex conuitiandi fera iſta immanique conſuetudine excultus ad humanitatem & mitigatus eſſe poſſis. Verum iſta conuitia quàm tibi prudenter exciderint videamus. Obijcitur ignobili me & obſcura ſtirpe ortum eſſe. fac id ita eſſe. O inauditam iactabũdæ theoriæ vanitatem. Hoccine cuiquam exprobari quod a parentibus ad liberos inſtituto diuiniſſimæ naturæ trãſmittitur?

Hoccine

Hoccine dici a Philoſopho, quem non de claritate generis inſolenter gloriari, ſed Philoſophari de nobilitate e virtutibus nata conuenit ? Vtinam per te latere potuiſſem. Vtinam tua iſta inurendæ contumeliæ importunitas non exprimeret ab inuito defenſionem ſtirpis & familiæ meæ. facile patior mediusfidius in quam tu de genere meo opinionem diſceſſiſti, eam adhuc & in aliorum animis inſidere. Quanquam ita res habet, vt ſi laus generis illuſtris abſit, eam non deſiderem: ſi adſit, non aſpernet. Quid ergo ? Parentum meorum, quorum lautior olim res erat & affluentior, anguſtiores iam ſunt & neſcio vnde compreſſæ facultates. At vterq; tamen a maioribus non obſcuræ originem familiæ, ſed nomen amplæ & generoſæ ſtirpis attulit. Plura dicerem niſi mihi ipſi in hoc genere velut legem ſilentij indixiſſem, & oſtentationem redolere eiuſmodi videretur oratio. Ne iſtud quidem dixiſſem, niſi mihi Thraſo iſte contumeliam e ſtirpis ignobilitate conflare voluiſſet. Atqui vero theorice theoricorum nobiliſſime, tune es e fatis Sybillinis Monarcha neſcio quis Analyticus, aut tertius aliquis a Ioue Theoripolus ? Eſto ſi placet poſtridiè natus quam Iupiter. Quid tum ? Ideone in alieni generis obſcuritate quæres contumeliam ? Quod ſi tibi infimo loco natus videtur qui non poſſit a proauis & atauis Analyticę monarchiæ, Thomiſtas dico & Scotiſtas, antiquitatem ſtirpis repetere: fateor herclè a ſplendore tam illuſtris familiæ, familiæ noſtræ mediocritatem longiſſime ſuperari. Mitte vero iſtam Diplodophile vanitatem: mitte oſtentationem ſtirpis & familiæ: non quam amplus genere, ſed quam clarus virtute ſis attende: nec quibus familia imaginibus cohoneſtetur, ſed quibus mens

tua

tua ornamentis excolatur vide. Nullam Mildapetto laudem concedis, ne vulgarem quidem illam animi & ingenij, cum is tibi ſophiſta ſit & corruptor iuuentutis. Sed vter noſtrum ſophiſta eſt, vter depraua-tor iuuentutis, tune qui Cantabrigienſes adoleſcentulos vis ad Titelmanni & Hunæi præcepta inſtitui, qui eiſdem ſpinoſas e Toleto argutias obtrudis, qui eorum ingenia effaſcinatis ſubtilitatum tendiculis irretiri vis? an ego qui caſtitatem in diſciplinis & vſum in præceptis deſidero? qui profligatis ſophiſmatis nullum in dialecticis veſtigium Dorbellicæ loquacitatis approbo? qui adoleſcentes ad vtiliſſimæ doctrinæ elegantiam informandos eſſe doceo? Dum Analyticam theoriam & illum de duplici methodo dialogum intueor, facile adducor te vt ſectorem Aquinatis eſſe putem. Quæ enim Aquinatis ſophiſmata, ſunt a recentioribus veluti ſubiecta haſtæ & publicata, ea tu coemiſti vt nouam anctionem inſtituas. Ac cum multæ eſſent magnificæque res in Scotiſtarum arculis complicatæ atque reconditæ: vniuerſam ſupellectilem hominum oculis ſubieciſti. Propoſuiſti igitur ornamenta pulcherrimi artificij: ſophiſmata varia velut Polycleti ſigna exhibuiſti: pagellas argutiarum delicijs diſtinctas quaſi vermiculatas tabulas propalam collocaſti. Sed enim excellentiſſime iuuentutis informator, non ſi vetus illa barbaries locum dedit Scotis olim & Dorbellis, idcirco nos tam erudito ſęculo, tam perpolitis moribus, tam excultis diſciplinis eiuſmodi baiulos & remiges feremus. Fremant Iauelliſtæ, & quantum poſſunt oblatrent: exponam hercle quod inſtitui. Nulla eſt Hunæi, Tartareti, Arborei bibliotheca, nullus Louanienſis Academiæ conſenſus, nullum Peripateticæ diſciplinæ orga-

num,

num, quod non ab vno P. Rami Logico libello & ſplendore verborum, & ſententiarum pondere, & totius tractationis dignitate & vtilitatis magnitudine infinitis partibus ſuperetur. Neque hoc eſt aliorum ingenia arroganter contemnere, ſed in rerum variarum contentione ſophiſmati veritatem anteferre. Veruntamen neſcio qua confidentia ſubnixus in Mildapetto quendam eſſe arguis doctiſſimorum hominum contemptum. Quem tandem Theoripoie contemptum? Si quid inſolenter egerim, ſi quid contumelioſe dixerim, in quo meus eruditorum hominum contemptus appareat, quin tu id ante de promis, quàm ad verbi virulentiam, contumeliamque maledicti deſcendis? At inaudiſti credo ab alijs. Num in eo ſatis eſſe putas cur in alienam famam & publicè & petulanter inuaderes? Quod ſi te conſimili iniquitate condemnarem, & in tuum nomen pari calumniandi libidine declamarem, annon bonis viris ad Antyceras relegandus videret ad rabiem maledicentiæ mitigandam & diſſoluendam? Vide ne dum odio Mildapetti quidlibet ad conuitij acerbitatem arripere vis, pij hominis exiſtimationem nõ ſatis diligenter tueare. Sed vtcunq; de Anglis hominibus præclarè eſſentiam, dubium non eſt quin a me Plato, Ariſtoteles, Galenus contẽnãtur. Quid ita homo modeſtiſſimè? an quia mihi cum iſtis interdum non conuenit? Attende quã iſta tibi parum fœliciter ſucceſſerit accuſatio.

Qui a Platone, Ariſtotele, Galeno interdum diſſentit, eoſdem prorſus arroganter contemnit.

Mildapettus ab ijs diſſentit: ideoque arrogãter contẽnit.

Secerne ab iſta quæſtione Platonẽ & Galenũ. Quid tibi peripatetico cum ſophiſtis illis? deprimãtur & proculcentur, modo exornetur & ſupra omnẽ mortalitatem

talitatem efferatur Aristoteles. Ecce vero, tune ijs omnibus, qui in nonnullis ab Aristotele desciuerũt, crimen arrogantiæ & contẽptus intentandum esse censes? Caue ne quẽ abs te ornatum velis, eundem contumelia affectum dimittas. Nam Aristoteles cum Aristotele pugnat sæpissimè. Cum igitur qui Aristoteli nonnunquam aduersatur, is a te nomine contemptus & arrogantiæ condemnetur, non te magnanimo maledicere sentis Achilli? opponã tibi ex hac ætate nostra, quibus turpe videtur in quibusdã peripateticæ familiæ delirijs diutius constitisse, homines illos quidẽ rerum cognitione abundantissimos, & tamen germanos alioqui Aristoteleos. Sed delirauit credo I. Schecius, cum quindecim illos libros de apodicticis elegantijs in lucem emitteret: in quibus dormitare Aristoteles & somniare dicitur. Quid Philippum Melancthonem? quid Iulium Scaligerum? quid Simonium cõmemorem? num hisce Aristoteleis tã grauis infligenda contumelia? Nam de P. Ramo silere placet. Nota enim illius arrogãtiæ est: consignata monimentis impudentia: audacia veriſſimis maledictorũ notis tradita hominũ memoriæ sempiternæ. Sed de Iacobo Schecio, de Ph. Melancthone, de Iulio Scaligero, de Simonio vereor vt tibi possim cõcedere, quia ab Aristotele interdũ victi rerum veritate discedunt, idcirco ab illis contemni Aristotelẽ & reijci insolenter. Ac proinde si Aristotelicis cõcessum est a magistro nonnũquã dissentire, noli quæso istã nobis, qui non nimis Aristotelici esse volumus, libertatẽ inuidere. Quod si pro tuo excellenti ingenio nihil Aristoteli ad summã sapientiam, nihil ad incredibilẽ rerũ omniũ cognitionẽ, nihil ad diuinitatẽ ingenij defuisse cõfirmare potuisses: equidẽ de eorũ singulari temeritate, qui Arist. vel leuissime repugnarent,

non grauate assentirer. Cum verò multa sint & prætermissa ab Aristotele & ab eodem negligentius disceptata: patiare nos quę in Aristotele desunt, ea a cęteris Philosophis assumere: quę planè vitiosa sunt, abiudicare & reijcere: quæ manca & inchoata, perficere & expolire. Hanc in expendendis aliorum inuentis rationem, si Aristoteles ipse reuiuisceret, tenendam & persequendam esse diceret. Quare libera Mildapettum ista contumelia: & te in maledicendo veteratorem, non illum in contemnendo arrogantem confitere. Posuisti insuper atque id tamen titubanter & strictim, desiderari a me in hominibus nobilissimis sapientiã. Deus bone quid audio? Egone aliquando id dicerem? Qui tanta in me amentia esse potuit, vt quos omni virtutum genere antecellere & ex ipsa stirpe sapientiæ generatos esse fatear, ijs tamen animi infantiam quãdam attribuerem? Iam video quam diligenter calumniandi ansam vndique arripias. Tu nisi perditam & profligatam calumniam afferas, aduersario maledicere non potes? An tibi satisfactum non putas, nisi Mildapettum subijcere hominum odio coneris, ipsumque mirifica illa calumniandi facultate iudicijs & pęnę condonare? Sed quantum tua existimationem meam obtrectatio violatura est, tantum vt spero hominum æquitas est eandem adiutura. Nam quod me nouum Apollinem appelles, gaudeo herclè tantum tibi ab effrenato calumniandi ardore otij superesse, vt me facetijs & dicacitate lacessas. At quàm id theorias grauissimi Philosophi non decet? Quo in genere si vrbanitatis salem, non insulsitatem afferre voluisti: aliquid leporis ac festiuitatis a comædis tuis libare potuisses. verùm quid est quod Apollinis nomine

in

in Mildapettum illuſeris? Si eum placet Apollinem nominare, qui illud *autos epha* a nullo quantumuis præſtanti philoſopho velut authoramentum ſeruitutis accepit, qui ſauellum, Buridanum Arboreum non profitetur, qui inconcinnæ ac quaſi verrucoſæ Thomiſtarum ſubtilitati bellum indixit, qui illuſtrem vtilitatem in ſcientijs non tenebricoſas & elangueſcentes argutias conſectatur: ſi in huiuſmodi hominem Apollinis nomen conuenire exiſtimas, equidem vix videor ſine arrogantiæ ſuſpicione tantæ contumeliæ laudem poſſe agnoſcere. Illud vero paulo contumelioſus fuit, in quo mihi leuiſſimi verbaliſtæ perſonam affingis. Mitto tamen de me quærere: illud quæro, Ramo Ramique ſtudioſis cur verbaliſtæ contumeliam intenderis. Cedò mihi pulcherrime realiſta: ecquis eſt e tanta Philoſophorum cohorte, de quo aptius illud dici poſſit, quod apud Ciceronem Antonius de Thucidide loquitur, quàm de P. Ramo? profectò ita creber eſt rerum frequentia vt verborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur. Quid quod Rami ſectatores non verba aucupentur, ſed res ipſas conſectentur? At dices eos e Ramea diſciplina Philoſophos extitiſſe. fateor: & addo etiam ex ea diſciplina, vnde pleriſq; artibus velut depulſa tabe ſalus conſtituta eſt. equidem eorum commentationes ſanum quiddam & ſententiarum accuratione exquiſitum pepererunt. Niſi forte is tibi potius verbaliſta ſit, qui in rerum grauiſſimarum tractatione lectiſſimæ ornatum dictionis & quendam florem orationis ſequitur, non autem is cuius tota oratio nihil aliud niſi barbarum quiddam & agreſte ſonat, ſic, vt Albertum de Saxionia tantummodo ſcire videatur. Quãquam habet oratio tua nitorem, ſed eum ita toto

genere ridiculum, ita concinnitate ioculari puerilem, ita abhorrentem ab elegantia dicendi, vt si ab Analytico Rhetore discesseris, assequi eum nemo & imitari possit: nisi deinceps fortasse satus ingenio tuo nouus aliquis Diplodophilus succreuerit. Ego vtcunq; a te in numerum verbalistarum ascribor, id certe video admonitionem Mildapetti ita esse rerum variarum comprehensione frequentem vt theorici realistæ insolentiam, quo minus eclogariam duplicis methodi acroasin tueri posit, coercuerit atque retuderit. Verum sit Mildapetrus si placet nouus Apollo: sit etiam imperitus verbalista: nunquam tamen euinces illi sex menses in texenda admonitione elapsos esse. Vis vt analysi subducta mendacij tui cæteris patefaciam, quàm parum verecunde argutere. Age igitur. Quæ ratio huius commenti? certè ea, quod nimirum ab editione dialogi tui spatium totidem mensium ad publicationem admonitionis meæ intercesserit. Belle mediusfidius ista concluduntur.

Quantum spatij ab editione libelli ad eiusdem refutationem publicatam intercedit, tantum in refutatione componenda a refutante consumitur.

At ab editione dialogi tui ad eiusdem refutationem a Mildapetto publicatam sex menses interceserunt.

Itaque in refutatione dialogi tui informanda sex menses a Midapetto consumebantur.

Viden' quam pueriliter ista & inscite differantur? viden propositionis singulare delirium? sic differis tanquam nullæ vnquam causæ interuenire potuissent, quibus fieret vt refutationis vel

ſuſcipiendæ conſilium ineatur initumue ſubinde commutetur, vel ſuſceptæ curſus retardetur. Quid ſi te in limanda dialogi tui theoria decennium contriuiſſe dicam? Equidem decennium & plus multo a Rameæ methodi promulgata ſuaſione, ad tuum refutationis libellum interfluxiſſe video. Quid ſi contendam duos tibi menſes ad eructandam illam tuam vix ſedecim pagellarum inuectiuam non ſatis ſuppeditare temporis potuiſſe? Id enim ab edito Mildapetto ſpatij ante decurſum eſt, quàm poſtrema iſta non tam gregalis & operaria quam proiecta & fraudulenta theoria lucem aſpiceret. Quinetiam cogita ipſe tecum quàm hebeti mendacio aſſumptionem aſperſeris. Quid an te Arithmeticæ inſcitia tam inſigniter lapſum eſſe putem? Recognoſce mecum inter dialogi tui & admonitionis meæ publicationem quantum temporis interuenerit. Prodijt nono Calendas Maij Dialogus tuus: admonitio vero mea viceſimo quinto Sextilis: adeo vt vtriuſque libelli editio alia ab alia quatuor tantummodo menſium interuallo diſtiterit. Vtrum iam Diplodophilum non dicemus duos menſes integros ad informandam mendacij petulantiam aduocaſſe? Quòd ſi iſta de re typographum percontêre, ille e quatuor hiſce menſibus vnum excerpet, contendetque Admonitionem Mildapetti apud ſe integrum menſem non dico ſubiectam prælo ſed concluſam parietibus latuiſſe: ita vt ratio temporis ſubducta ſenos menſes ad ternos redegerit. Quid quod vicenos aut plus eo dies in amici cuiuſdam Lõdinẽſis tutela ante delituerit, quàm typographo traderetur? Non iam vnbrã conſector leuiculæ con-

iacturæ, sed oppono fidem integerrimi testimonij. Nunquid igitur iam sentis quam licenter quatuor fere totos menses ad mendacium exaggerandum arripueris? Non dicam spacium triginta dierum haudquaquam Mildapetto prius effluxisse quam admonitionis suę velut curriculum confecisset. Longius me proucxit refellendi mendacij cupiditas quam ferret pene ratio verecundiæ meæ. Sed finge si placet ad elaborandam Mildapetti commentationem sesqui-anni vigilias ac cessisse. Quid tum? Deus bone quanto præstabilius est vel sexaginta annos ad opus aliquod expoliendum assumere, quàm vel sexaginta horulis multiplicem vanitatem procudere triobolariæ & contemptissimæ theoriæ. Tu cum non ita excellentem (vt videri vis) commendationem acceperis aut doctrinæ a Philosophorum libellis, aut prudentiæ a rerum vsu: tamen vt sophismate Dorbellam & subtilitate Thomam vicisse putere te ad concinnandas theorias, ad somniandas monarchias, ad contexendos dialogos retulisti. Veruntamen cum sis eo vsque argutiarum præstigijs irretitus: cum hoc etiam omnino habeas non dico a doctrina cuius consilijs omnia sapientissimè temperantur, sed a te ipso qui singula ad perpendiculum Scoti & Toleti soles exigere, vt in tuis commentationibus longè infœliciſſimus sis: tamen nescio qua confidentia subnixus ita Mildapettum arroganter contemnis vt quia libellum publice emiserit, idcirco cursum naturæ iam mutatum iri arbitrere. Ita nouum id tibi & instar portenti videtur esse, ac si solis Theoripoijs liceret & priuatim volumen perpolire & perpolitum in luce oculisque hominum collocare. ac ne de sapientia tua nos qui hebetiores sumus aliquando dubitemus, equidem

huius

huius noui portenti noua forma in ſcurrilem cantiunculam illigata omnem dubitationem ſuſtuliſti. Verum tu te artificem librorum profiteri & prodire e typographi officina auſus es? tu vniverſæ Europæ leuiſſimam theoriam venditare? tu ex eruditiſſima Academia tam ignauum & triuiale ſophiſma efferre? Ecquid dum excellentiſſimi ingenij hominibus qui in ſingulis fere nationibus permulti ſunt, theoriam, dialogum, inuectiuam communicabas, ecquid inquam te apud veteratoriam & iratulam nationem ſophiſtarum in Tartareti Lycæo perorare credebas? Equidem etſi ipſe tibi nimium tribuebas, tamen noſti Typographiæ officinam, in quam egregius ſcilicet Theoricus irrupiſti, non Scotiſtis extructam eſſe ſed Philoſophis non eſſe receptaulam ieiuni Sophiſmatis, ſed inſtrumentum vbertimæ diſciplinæ. Quamuis hercle in typos temporum vitio irrepſerunt aliquando vix illæ quidem ſatis lautæ & elegantes theoriæ: tamen vna cum ijs pudici ſemper aliquid & ſani immigrarunt. Tu vero homo ſapiens & conſiderare quid tandem attuliſti? equidem pro concinna præceptione ſubagreſtem & exeſam ſententiolam: pro inuentis acutiſſimi ingenij, exanguem & confectam ſubtilitatem: pro ſana & erudita diſputatione.

tudinarium & febricitantem acroaſin: pro illuſtriſſimis ad rem demonſtrandam exemplis vietas & inareſcentes theorias. I nunc & Mildapettum ad publicandam admonitionem refregantibus Muſis acceſſiſſe, te vero in texendis voluminibus excellentem artificem eſſe gloriare. Sed enim non eſt Theoripoie, non eſt libelli publicatio, quæ te ad inſectandum Mildapettū tantopere incitauit. Illud illud eſt quod in te ſingularem orationis barbariem,

quod ieiunitatem theoriæ tuæ, quod inoptias disciplinæ illius, quã tu velut filiolam iamdiu exosculatus es, denudarit Mildapettus & exagitarit. Hinc illæ lachrymæ, hinc infinita calumniandi & scurriliter illudendi cupiditas, hinc acerrimè inflammatus irruis in Mildapettũ verbis atrociſſimis. Qualia enim illa ſũt?

Hæreticus cuius recens eſt furor.
Mildapettum vobis comedendũ & deridendum propino.
Eſt inſanus, demens, plenus rabie.
Ex homine non eſt natus.
Rabido & inflammato animi æſtu inſultat Mildapettus.
Diuerſorium ſibi parauit ſine lege, ſine iure, ſine arte, ſine ratione.
Tempeſtas ingenij immoderati rapit Mildapettum.
Saltationi illi vagabundæ nil niſi flagellum deeſt.
Eloquẽtiæ Mildapetti potius medicina virgæ & viminũ adhibenda eſt, quam argumenti ſpecies dialectici.
Syllogiſmi tui virgam clamitant.
Nouato & knauareno vtitur artificio.
Sacculo illi eſt opus.
Pudet eum nominis & facultatis.
Leuis eſt & inconſtans.
Geta monitor.

Quid? num te tuorum emblematum commemoratione conturbo? num tuæ formam iſtam agnoſcis furioſulæ & calumniatricis theoriæ? num hæc vt corraderes homo mitiſſime, tot dies in ſchola Dorbellæ peroraſti? Fœlix certè es, ſi eſſe poteſt vlla in conuitiando fœlicitas. At heus bone vir, ſi Mildapettus ex homine non eſt natus, quomodo poteſt hæreticorum infinita rabiè agitari? quomodo neceſſe eſt a mente eum conſilioq; deduci vigilantem? Sed video quid egeris. Vis opinor in hominum numero cẽſeri neminem, qui nõ ſit in theoricam analyticæ monarchiæ ciuitatem aſcriptus. Vis etiam hæreticæ inſaniæ nomine condemnari qui ſanctiſſimis iſtius reipub. legibus violatis nolit aut Dorbellæ

bellæ parentare aut litare Aquinati. Hic tibi *apolis* est: hic *aphretor athemistos, anestios:* hic *e therion e theos.* Hunc comedendum hominibus & deridendum propinas. Immo caue delicatulis theoricis comedendum obijcias, ne cum edormire crapulam inde accersitam & exhalare non possint graue damnum analytica ciuitas illorum immaturo interitu faciat, orbata nempe singularibus ornamentis. Huius etiã audacia videtur tibi non castiganda leuiter, sed flagello & vimine coercenda. Quid an ista theoricæ reipub. Monarcham delectant, *I lictor colliga manus?* Nullane a Solone vestro sancita lex est consimilis Portiæ illi, quæ virgas a ciuium corporibus amouebat? Si eos ista lenitate disciplinæ excipis, quos in ciuitatem tuam asciuisti: lætor herclè seiunctum me a iure illius & communione semper extitisse. Sed quin tu carnificem e monarchia exturbas? quin virgæ crudelitatem amoues? non patietur asperitas ista vt ciues tui de *triplici illo ascensu ad mundum intelligibilem* sollicite cogitent. Agedum Qui sese Theoriarum artifici opponit *nouato* (inquis) & *knauareno vtitur artificio.* Facete: immo nimis contumeliosè: sed nihil est quod theorico Monarchæ non liceat. Licuit iamdiu illi vel ipsis rabulis laudem triuialis maledicti præripere. Quanquam si resciuerint non satis æquo animo ferent te in eorum verba tam audacter inuasisse. Places tu quidem ipse tibi in hoc genere. *Sacculo* inquis) *opus est Mildapetto.* Rectè mones. Nam in hoc vno fœlicior cæteris futurus esset, quamdiu deformitatem non aspiceret obstrepentis & procacissimæ theoriæ. De *Geta monitore* quid dicam? Monuisse me nõ inficior, & solent summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus interdum admoneri. Verum

quod ad illud alterum attinet, non commemini ab vllo me ad artificium scenæ institutum fuisse: tu si quid eiusmodi recordere, vide ne tum fuerit, cum Bombarabundi persona in scena ageretur. Perge verò. *Pudet Mildapettum nominis ac facultatis.* Quod ab alijs persæpe ante hac inaudisti & ipse tibi non leui coniectura ductus iamdiu persuasisti admonitionem scilicet Mildapetti conscriptam a me in lucem exijsse, idem ego etsi typis nomen meum perinuite ac diffidenter inexo, tamen si facere illud mihi nulla arrogantiæ suspitione licet, fateor iam tandem & agnosco. atque id eo magis, quod ita responsionem tuam instruxeris vt occultari nomen meum diutius non posset. Nam cum de authoris nomine sileretur ne quibusdam bonis viris gloriæ quàm veritatis cupidior videretur: equidem subitò exarsisti, meque in crimen celati nominis vocauisti. Quid? etiamne de aduersarij tui verecundia conquerendum putas? si quid studio ostentationis vitandæ fecerit, etiamne succensebis? Nam quod idem mea de facultate affers, non tam me pudet esse mediocrem, quàm lætor in tanta mediocritate, quantam ego libenter agnosco, nihil tamen inesse analyticæ & theoricæ vanitatis. Grauius est illud quod de inconstantia & leuitate dicis. Attamen cum mihi idcirco leuitatem attribuas quod a me laudetur modo, modo vituperetur Aristoteles, vereor ne quibusdam scite cum aduersario & artificiosè colludere videare. Nam qui Aristotelem & ornat, si erudite Philosophetur, & coarguit si frigide argutetur, is se per hercle multum abesse demonstrant a mancipata illa & euendita cohorte sophistarum, qui vel ipsa rudera Lycæi nescio qua metaphysica superstitione venerantur. Quin etiam dum id agit, præ se ferre videtur

tur cum liberalis ingenij teſtimonium tum etiam excolendæ ſtudium veritatis. Non igitur leuitatis eſt eam laudandi & vituperandi conſuetudinem adhibere, ſed indigniſſimæ ſeruitutis tantum Philoſophi authoritati tribuere, vt falſa ſimul cum veris nullo iudicio comprobes. Verum enimvero quando tandem a conuitijs diſcedetur? quouſque calumnias audiemus refractariæ & litigioſæ theoriæ? Miror equidem quorum maledicendi libidinem imitere, de eorum te perſimili infamia non laborare. Vtinam non reſponſionem talium conuitiorum veſtigijs impreſſiſſes, ſed eandem argumentorum præſidijs ad refutationem Mildapetti inſtruxiſſes. At id tibi minime neceſſe fuiſſe dices. Quid ita? quia contra dialogi tui diſciplinam nihil prorſus ne leuiſſimæ quidem rationis vmbram attulit Mildapettus. Atque id ita eſſe multis verbis & vehementiſſime clamas, & religioſiſſimè conteſtaris. Quid enim illa?

Mildapettus nihil de tuo refutare potuit.

Mildapettus nullum duplicis methodi a te confirmatæ fundamentum diminuit.

Mildapettus citius ſibi oculos effoderit quam abiectiſſimam libri tui concluſionem eneruarit.

Vnica Mildapetti ſtultitia de methodo vnica ſuperat omnia.

Loquitur in cauſa ſibi prorſus incognita.

Verborum fuco & fumo contra ſolem & lunam, contra ſtellas denique omnes pugnare ſtudet & incaſſum contendere.

In hoc libello tuo omnibus, quæ argumenti ſimilitudinem præ ſe ferunt abunde ſatisfeci in libro de duplici methodo.

Abunde huic laruato cuicunque in codicillo noſtro ſatisfeci.

Omiſſa laxa ſcribendi profuſione codicillo noſtro in omnibus aut ſaltem in ſummis ſatisfacias.

Nullam concluſionem aut dialecticam, aut ſophiſticam, uat

aut demonſtratiuam contra veritatem duplicis methodi attulit.

Multos pueriles & ridiculos ſyllogiſmos affinxit Diplodophulo.

Mildapettus centum authoritatibus in codicillum tuum congeſtis nihil reſpondit.

Quam non iſta tam frequens & ſolicita conteſtatio moueret? cui de inani & irrito conatu Mildapetti non faceret fidem? cuius tandem eſt, cum iſta vidit, putare vel minimam partem dialogi a Mildapetto refutatam? Equidem dum hæc te tam ſæpe & ſerio profitentem atque obteſtantem audio, mihi pene ipſi perſuades, quod factum eſſe video, tamen infectum confiteri. Quod ſi vero Mildapettus excuſſa ſubtilitate dialogi tui, duplicis methodi deformitatem notauerit, & vnicæ dignitatem illuſtrarit: quemnam eſſe te homines eruditi iudicabunt? qui & ipſis fucatæ ac ementitæ conteſtationis artificio fraudulenter impoſueris, & Mildapettum aculeo deliberatæ calumniæ non ſine ſumma iniquitate perſtrinxeris. Qualem te reſponſioni tuæ & quam fabuloſam theoriam inferſiſſe putabunt Cantabrigienſes, qui in cauſa perdita & miſerata mintemperanter exultes? Quid de te poſteri ſtatuent, qui de re falſa & hominum iudiciis conuicta iam diu in oculis totius Angliæ tam inverecunde peroraueris? O miſerum te ſi quid contra argutias dialogi tui afferatur, non intelligis: miſeriorem verò ſi intelligis: Nam alterum cæcitatis eſt: alterum obtrectationis & inuidiæ. Age verò vt tibi iſtam verborum iactantiam excutiam vt alios vel errore liberem ſi tecum ſenſerint, vel in iudicio confirmem ſi contra opinentur, vt Mildapettum denique ab indignitate vindicem grauiſſimæ contumeliæ: non grauabor admonitionis meæ

ſumma

ſumma capita ſubducere, & ex illis ineptias notare dialogi tui ac veluti curſim diſceptare. Vnde vero initium ducetur? equidem a tua earum rerum partitione quarum intelligentiam te authore ad percipiendam methodi diſciplinam afferri opportebit. Vtrum cum a te illa tria, methodi ſcilicet naturam, methodi propriam affectionem, methodi ſubiectum confundi inuicem & permiſceri doceo, tuæ partitionis ſapientiam non refello? Et tamen hic exclamas.

Mildapettus legit, negligit non intelligit, Hæc Ariſtotelis diuiſio Mildapetto non placet. Quid dicam amplius? Mildapetto non placet hæc diuiſio Ariſtotelis.

Immo & lego & intelligo & refello. Quin & illud intelligo affingi a te diuiſionem iſtam ſic explicatam Ariſtoteli. Vbi enim ab eo tria illa ad methodum transferuntur? Ille vnquam diceret, *Primo eſſe rationem quæ eſt dignitas ſecundo eſt rationem a principio ad finem artificioſe procedentem, quæ eſt propria methodi paſſio. Tertio rationem artificioſe procedentem eſſe methodum: quod eſt ſubiectum.* Ille quicquam tam inſipidum & anile proferret? Ille tam ſtulte & pueriliter erraret? Ariſtoteles certe demonſtrationem tribus illis informavit, ſubiecto, propria affectione, & cauſa propria. Inde fortaſſe erroris cauſa extitit, quod quæ de Ariſtotelica demonſtratione fingerentur, ea de methodo dici putarent. Id tamen ferri in te præſertim, potuiſſet, niſi erroris deformitatem friuolæ theoriæ commento cumulaſſes. Expoſita partitione diſeris, nihil abſq; methodo ſcripoſſe. Hic & ipſe argumenti vim oppono, & tuæ theoriæ infirmitatem oſtendo. Propono igitur cauſas ſcientiæ, diſpoſitionem ſcilicet enuntiati & ſyllogiſmi dia-

dianoiam: & adhibita dissimilitudine naturam finemque methodi comprehendo. Tum etiam a specie quam volo thesin illustro: quod nempe rei definitæ vniuersa ratio enodari possit & intelligi, tametsi methodi præcepto nullum ad ordinem reuocetur. Ab ista confirmatione ad tui iudicij analysin discedo. Iudicium tuum duplici syllogismo comprehendi voluisti.

In quibus est dispositio prioris ad posterius in ijs est ordinis obseruatio.
At in omni inquisitione proceditur a priore ad posterius.
Ergo impossibile est secundum materiæ subiectæ dispositionem quicquam scire sine methodo.

Deinde.

Methodus est causa
Nihil sciri potest sine methodo.
Nihil itaque sciri potest sine methodo.

Annon satis est dixisse prioris syllogismi cõplexionem ex antecedente sic emersisse, vt apud Horatiũ definit in piscem mulier formosa superne? Posterior speciem ille quidem habet, sed lubricam & fallacem. Quìm enim est ridiculè instructa propositio? si de omni causa generatim loquatur, est inanissimæ falsitatis, si speciatim de aliqua, inde concludi non potest rem quamlibet methodi beneficio cognosti. Nam cum ex causis rerum omnium cognitio efflorescat, causæ verò singulæ rerum singularum methodo non includantur: non est necesse rerum omnium e methodo scientiam redundare. Quid? qui ista loquitur, an nihil de tuo refutasse dicetur? At finguntur a me syllogismi isti. Fatebor herclè, si non vterque in secundo capite dialogi tui lucet & occurrit

occurrit: alter omnibus partibus plene redditus & explicatus: alter omissa propositione conclusus enthymemate. Perge modo. Methodum (inquis) scire res est difficillima. Difficultatis argumentum eiusmodi est.

Quæ ratio omnia ad scientiam redigit, & in singulos gradus a principio ad finem animaduertit, ea discenti est difficillima.
At methodus omnia ad scientiam redigit. &c.
Methodus igitur discenti est difficillima.

Propositionis eleuchum similitudine demonstraui. Dum id ago, ecquid de tuis nihil attingo? Attende porro quid contra methodi dialecticæ partes duas, tria instrumenta, & quatuor causas attulerim. De partibus, id docui, ad vnicam artis particulam perinscitè alligari, quod totius artis naturam complectitur: & tribus instrumentis non ordinis elegantiã informari, sed res ad ordinem redigendas contineri: nec methodi aut materiam in vocibus secundæ intentionis, aut in habitu scientiæ perfecto finem esse. Quid? syllogismus ille ad vnitatem methodi tollendam institutus, vtrum a Mildapetto conuellitur ac dissipatur?

Vniuscuiusque causæ non est vnica ratio.
Vnaquæque causa est methodus.
Methodus igitur non est vnica.

Si hunc syllogismum duplicis methodi fundamentũ appellas, vide quomodo fundamentum istud labefactatum a Mildapetto radicitus extirpetur. Primò cuius stultitiæ est dicere vnamquamque causam esse methodum? Deinde cui vnaquæq; causa est methodus, is rationem methodi non bipartitam sed quadripar-

dripartitam efficit: postremò etiamsi causæ in summa varietate constiterint, non idcirco tamen methodorum varietas orietur. vbi huic refutationi, qua vtitur Mildapettus, in dialogo tuo fecisti satis? vbi iam contestatio illa, in qua tantopere vociferaris Mildapettum nihil de tuo refutare potuisse? Sed argumentatio fortasse ad Rameam ab vniuersalibus methodum profligandam adhibita tantum Mildapetto negotii facessebat, vt victus splendidissimæ theoriæ maiestate refugerit.

Si vniuersalia (*inquis*) sunt obscurissima, plena confusionis et tenebrarum, methodus à vniuersalibus progrediens, author erit summæ confusionis, obscuritatis et tenebrarum.

At vniuersalia sunt obscurissima, plena confusionis & tenebrarum.

Methodus itaque ab vniuersalibus progrediens est eiusmodi.

Quid de istis Mildapettus? Quid assumptioni respondet? Refer ad ea te, quæ in sexto Admonitionis capite disseruntur. Comperies rerum generalium & obscuritatem refelli & pluribus verbis demonstrari claritatem. Hic illæ vniuersalium laudes Aristotileæ celebrantur: Hic luce horum remota difficultas specialium exponitur: hic mirifica illa notioris distinctio, quanquam etiam plenius octauo capite, refutata occurrit. Quid? qui hanc Notioris comparationem sophismatis convincit & delirii, qui id hominibus notissimum esse docet quod splendorem a natura per se & lucem accipit: annon distinctionem illam plane conficit ac dissipat? Attamen cum istam refutationem vberiore oratione insecutus sit, intuemini qui hæc legitis, quam misere traducatur Mildapettus. Hijs enim verbis in responsione sua loquitur

quitur Diplodophilus.

Mildapettus vero noster, cuius libellum quoties legis, toties verbalistæ & dialectico quid interest facile discernas, quid tandem respondet huic diuisioni Aristotilicæ, equa omnes interpretes dupliceni methodum vnanimi consensu docent? humano capiti ceruicem vultis iungam equinam? Philosopho *Asophon*? Aristoteli Mildapettum, quod si stat sententia, hominem vobis commedendum & deridendum pro pino. Sic respondet huic diuisioni Aristotelicæ Mildapettus:

Dico notioris partitionem istam esse ab organicæ disciplinæ magistro potius somnitatam, quam cogitata institutam ratione, & iudicio.

Nonne dixi in hoc esse Atticam eloquentiam? acumen Aristotelis? arrogantiam P. Rami? ex homine hunc putes natum? Ramizat Mildapettus sat benecerte

Ecquid te pudet tot in vnum conuitia aggregasse? ecquid loco & grauitati tuæ cõsentanem esse putas vanitatem notissimæ calumniæ in lucem efferre? Egone ad distrubutationem Notioris peruellendam nihil præter illam sententiam affero? Conuerte ad sextum & octauum Admonitionis caput cogitationes tuas: analysin totius disputationis institue: expende eam quasi ad stateram dialectici artificii: intelliges quam insigne mendacium in oculis hominum defixeris, & posterorum memoriæ peruulgaueris. Quin & methodi distributio in popularem & exactam oppressa argumentorum viribus tuam in Mildapetto traducendo coarguit voluntatem. Quid loquar, quam puerilem elenchum in duplicis methodi demonstrationem e duorum terminorum oppositione natam conieceris?

Duo

Duo *(inquis)* oppositi termini efficiunt duplicem methodum.
Nos & natura sumus duo oppositi termini.
Nos igitur & natura efficimus duplicem methodum.

Vtrum Mildapettus citius sibi oculos effoderit, quã istam conclusiunculam eneruarit? Quærit a te in Admonitione sua sitne particulariter explicata propositio an informata generaliter? si speciale quiddam enuntiet, ait te in disponendo syllogismo a syllogmi institutis aberrasse: si generalem notionem complectatur, de falsitatis sophismate conqueritur. & de incredibili methodorum multitudine, si methodus pro munero oppositorum terminorum distingueretur ac crescceret, meritò conqueri potuisset. Quanquam & illud peræquè falsum est, si quis e repugnantia duorum terminorum non quorumlibet, sed duntaxat aliquorum bipartitam methodum deduci posse dixerit. Numquid de assumtione syllogismi tacet Mildapettus? numquid de veritate confitetur? optandum id tibi esset. Ita enim nescio quid discerptũ fere & quasi semiustulatum peperisti. Vide porro quàm verè & ab argumentis accõmodate compositoriæ methodi insulsitatem exagitet. Vide quid contra inueniendi methodum opponat. Tuam inscitiam allatis rationibus criminatur, quod rem & planè falsam, & valde alienam attuleris. Veruntamen tanquam in horum sophismatum refutatione mutus ac elinguis extitisset, exclamas, Mildapettum nullum duplicis methodi a te confirmatæ fundamentum conuellere potuisse: immò citius sibi oculos effossurum, quàm abiectissimam libri tui conclusionem infirmaturum. At non est ita Theoripoie, cum te & in illis quæ iam dixi somniasse & in cæteris desipuisse euicerit. Quæ est enim

enim ista de commento demonstrationis tam fatua acroasis? esse eam Aristotelici figmentum ingenij e P. Ramo summa ratione demonstraui: & in te demonstrationem pro methodo statuente inopiam iudicij deploraui.

Quæ (inquis) a causa perfecta ad conclusionem perfectam procedit, ea sola est methodus perfecta.

Demonstratio a causa perfecta ad conclusionem perfectam procedit.

Sola igitur demonstratio est perfecta methodus.

Annon te Mildapettus in propositione insigniter balbutiusse conuincit? annon apertis rationibus pugnat.

Vin' tu (inquit Mildapettus) syllogismum esse methodum? At demonstratio syllogismus est. Vin' tu methodi præceptis non ordinis accurationem informari, sed vim deductæ e propositione & assumptione conclusionis iudicari? Vin' id, quod methodi lege ad ordinem redigi potest, & debet, methodum rerum suis locis collocandarum vsurpari? at syllogismus methodo disponi potest.

Huius orationis analysin Theoripoie facit importunitas responsionis tuæ vt instituam. Est igitur eiusmodi:

Syllogismus non est methodus.

Demonstratio est syllogismus.

Demonstratio igitur non est methodus.

Propositio est dissimili vtriusq; fine illustrata: quod nempe methodo ordinis conuenientia, syllogismo iuis conclusionis iudicetur. Deinde:

Quod methodo disponi potest, nõ est methodus.

Demonstratiu' syllogism' methodo potest disponi.

Non est itaque methodus.

Hæc cum ita a Mildapetto disputentur, attendite

quæso qui ista legitis quàm Analyticus iste sapienter & acute respondeat.

Respice *(inquit)* ætatem tuam: immo potius cuius viribus per totum libellum tuum tanquam regula Lesbia abuteris, Validum hoc respice argumentum: Quid tibi dicam Analytico? Vin' tu methodum? Vin' tu syllogismum? Vin' tu præceptis? mihi non videtur. bene est, non assentior. Siccine me atque illam verbosa tua inanitate ludificarier? Siccine ratiocinaris? Siccine solent dialectici? Quid mihi? quid huic? Vin'? num? non? mihi non placet: tibi non assentior. Sanusne es? tibi non placet? tu non assentiris? ex vnguibus leonem (vt aiunt) & per rostrum aquilam Syllogismi isti tui virgam clamitant. Verum tibi non placet. Non placet tibi? Quis tu es? quis nobis es? quis Aristoteli es? Sanus an insanus es? qui sic per totum libellum tuum ratiocinaris. Huc etiam illud pertinet. Non te pudet in quæstione dialectica, dialectice tractanda, puerili quæstionum serie procedere? in quæstionibus argumenta? in audacia sapientiam? in verbis Logicæ laudem quæris? peregrinaris (Mildapette) si id credis: & artem dialecticam prorsus ignoras.

Næ tu non modo in gratiam mecum redires, sed etiam me de gloria tua vehementer laborare diceres, si intelligeres, theoriam istam quanta commiseratione exciperem. Mitto muliebrem istam altercatiunculam, & festiuitatem procaculæ mimicæq; rixæ, natam in leuissimis circulis, non ortam in liberalissimis gymnasijs: quid est quod ad reprehendendum accedere non possis, nisi insciti am prodas planè singularem? Tu Mildapetti de methodi & syllogismi apodictici differentia orationem, quia non est simplici ac velut natiuo colore expressa, sed figuratæ elocutionis genere comprehensa, expertem dialectici, artificij, & ab omni argumento nudam esse putas? Agnosco sanè theoriam. Nihil logicè

gicè concluſum & ratione demonſtratum eſſe vis, niſi e duobus poſitis tertium illud tuum Ergo inferatur. Hinc eſt quod in oratione interrogationibus figurata nullius argumenti vim ineſſe arbitrere. Sed exuſcita quæſo acumen ingentij tui & liberrimæ cogitationis iudicium aliquando exerce. Nunquam ne diſertiſſime Theoripoie intelliges poſſe notiones ac ſenſa mentis pluribus varijsq; eloquendi formulis explicari? Nunquam ne cogitabis ſyllogiſmi dianoiam rhetoricis ornamentis & figuratæ conformationis ſplendore illuminari poſſe atque ornari? Nunquamne de rhetorum dialogiſmo, qui interrogationis, & reſponſionjs concinnitate efficitur, inaudiſti? Vtinam non tam e Iauelli commentario deſipere, quàm e ſchola P. Rami ſapere voluiſſes. Ille te ad Logicæ humanitatis artificium erudiret. Ille doceret dialecticam argumenti collocationem non dialogiſmo rhetorico diſſipari, ſed pereleganter occultari. Ille tibi cuiuſlibet diſputationis retexendæ præcepta traderet. Intuere vel ad punctum temporis communem vſum differendi, magiſtrum ſcilicet dialecticæ ſapientiæ. Animaduertes illico res grauiſſimas interrogando & quærendo non ſolum ad rhetoricæ præcepta dici ornatiſſimè, ſed etiam ad dialectici legem artificij diſputari ſapientiſſimè. Quid dicam iſta omnia vel tuo ipſius vſu refutari? quoties enim interrogatione rem perſequeris? equidem tua iſthæc Mildapetti reprehenſio, quam ex illa inuectiua deſcripſi, quam eſt interrogatiunculis frequentata? Ac quamuis ſint cum feruidiuſculæ ac ſtomachoſæ, tum etiam fatuæ & perridiculæ: tamen duplicis ſyllogiſmi rationem licet elencho vitioſam comprehendunt. Hoc enim iudicio concludis.

Qui interrogationibus vtitur in retractanda, non est dialecticus, sed verbosa inanitate ludificatur, sed syllogismos virga dignos parit, sed insanit. Istam propositionem hisce partibus integram expressisti: tametsi sophismatum fæce lutulentam.

At Mildapettus interrogationibus in re tractanda vtitur. Tu assumptionem hanc & agnoscis & insectaris. Aude iam negare te oratione quæstiunculis explicata syllogismum conclusisse. fieri nequit quin ex isto antecedente, in propositione & assumptione tertium illud consequatur.

Mildapettus igitur non est dialecticus. &c.

Deinde in postrema illa sententia syllogismum similiter partibus omnibus explicatum proposuisti.

In quæstionibus *(inquiu)* nullum est argumentum, nulla sapientia, nulla Logicæ laus.

Mildapettus puerili quæstionum serie procedit.

Mildapettus itaque nullo vtitur argumento, sed dialecticam prorsus ignorat.

Nonne iam sentis somnolentæ responsionis theoriam non tam aliorum in differendo consuetudine, quam tuo ipsius vsu confossam ac iugulatam esse? immò id quod tibi miserrimum videri debet, sic est a te contexta responsio, ut Mildapettum specie quadam criminetur, re verò ipsa & Mildapettum culpa liberet, & Theoripoium Theoripoii testimonio plane condemnet. Cuius iam temperantiæ est de Diplodophilo querentem, aculeum maledicti continere? Quotusquisque est qui in crassissimi refutatione delirii potest moderationis & lenitatis meminisse? Cum in rebus minimis & facilimis tam misere prolabatur atque erret, parumne videtur omnium sophismatum sibi cum Iauellistis societatem initam confiteri? Sed quid est quod ipse me diutius interponam tam desperatæ theoriæ? quam neque verecundia

cundia diplodophili cohibere, nec communis disserendi ratio coercere possit. Vtrum iam Mildapettus *Verborum fuco ac fumo contra solem & lunam, contra stellas denique omnes pugnare studet? An loquitur in causa sibi prorsus incognita?* O mirificam animi cæcitatem. Qui sese ad vanitatem sophismatis resecandam & comprimendam retulit, is Diplodophilo videtur cœlum & stellas lacessere? is gigantum more superis bellum indicere. Verum perge. Differitur in capite dialogi tui tricesimo secundo non analyticam methodum a generalibus sed aliam faciliorem esse discenti proponendam. Ad quod confirmandum mirificam theoriam excitasti:

A fine (*inquit*) scientiæ nemo incipit.
Demonstratio est finis scientiæ.
A Demonstratione igitur nemo incipit: sed ab alia faciliore methodo.

Ecquid solem & lunam prouocat, qui tam inuenustam acroasin refellit? Sane vero nouum in propositione solem, nouam in Assumptione lunã proponis. Sed Astronomiam istam Mildapettus, quia terrã olet non cœlũ illustriore quadã luce tollèdã putauit. Nec non tuã Rameæ opinionis explicationem quasi sub Saturno & Mercurio natam excussit ac profligauit. Vis enim P. Ramo vehementer placere ut methodus a specialibus ordiatur. Quid cum disseris definitionem primo non esse discentibus proponendam, annon lunam istam portentosa eclipsi laborantem abiudicauit ac repulit? annon etiam methodum simplicis thematis per quatuor questiones exponendi a methodi natura alieniſſimam esse docuit? annon te in methodorum praxi a methodi præceptis longissime aberrasse demonstrauit? Hic tamen nullo me acumine sed trita obiectione contra praxin istam disseruisse contendis. Quam trita sit nescio: illud

scio lumine allati argumenti tuas ineptias illustrari. sed quid est si trita sit & obsoleta, cur non refellis? cur non tritæ obiectioni tritam solutionem e schola Dorbellæ repenis? Consule Tartaretum familiarem tuum Potes ab eo fortasse solutionem aliquam & distinctiunculam mutuari. Verum enim vero,

Centum pene authoritatibus in dialogum tuum congestis, quarum vel minima vel obscurissima duplicem esse methodum demonstratiue probat, Nihil Mildapettus respondet. Equidem illud *Pene.* perscité & opportunè addidisti. Nam ad centenarium numerum explendum octaginta authoritates desiderari video. In quo non minus eleganter rhetoricaris ac theoricus ille, qui sex menses ad amplificandam mendacij dignitatem pro vno numeravit. Sed ecce e testimoniis illis, quæ vix ad confirmationem positæ quæstionis vicena corrasisti, pleraque in quibus inerat species aliqua, refutata iamdiu a P. Ramo & conuicta sunt: Platonis dico, Aristotelis & Galeni: adeo ut iustæ queremoniæ nullus locus esse possit. Quid quod nõ sit ista de methodo controuersia hominum testimoniis dirimenda, sed rationum momentis disceptanda? Ac cum P. Ramus aduersus omnes bipartitæ methodi assertores vnicæ methodi patrocinium susceperit, facis diuinissimo homini iniuriam, immo *Toon archē* more sophistarum petis, cum illi philosophorum testimonia opponis & obtrudis. *Atqui vero* cum in dialogum tuum paulo seuerius inquisiuerit Mildapettus, vbi iam gloriosa illa & solennis contestatio? vbi palma theorici doctoris? vbi Analytici monarchæ triumphus ille? Vides profecto si non refutationem, at certe refutationis vmbram aliquam: quæ tamen luce theoriæ tuæ non fa-

tis

tis facile euaneſcit Non dicam duplicem methodum quaſi fundamentis reuulſam corruiſſe: ſed eiuſmodi plagã accepiſſe dicam, quæ ſanari artificiis theoticæ medicinæ non poſſit. Attamen quaſi de elegantiis dialogi tui altum ſilentium fuiſſet: quaſi apud puerulos non viros, & apud ſtultos non ſapientes emiſſo libello perorares, exclamas & conteſtaris, *Mildapettum nihil de tuo refutare potuiſſe: & citius ſibi oculos effoſſurum, quam abiectiſſimam libri tui concluſionem eleuaturum:* Immo tanquam nullam partem a natura aut doctrina humanitatis & modeſtiæ accepiſſes, gregalem dicacitatem, immane conuitium, importunam calumniam ad lacerandum Mildipettum effudiſti. Præterii tamẽ iſta facilime potuerunt, niſi ad exaggerãdam conuitiatricis theoriæ petulantiã maledictorum incredibilis multitudo acceſſiſſet. Atque ut ipſe facultatem in hoc genere ingenij tui extra omnes terminos diffluxiſſe intelligas & latiſſime redundaſſe: ecce quicquid habes calumniarum & conuitiorum, id a cæteris ſepoſitum, iſthuc conferendum, & oculis tuis ſubjiciendũ putaui, ut quoties intemperatiſſimi maledicti deformitatem intueris, toties illatæ Mildapetto grauiſſimæ iniuriæ recordere.

CONVITIA DIPLODOPHILI & calumniæ.

Homo in ſcena iocularis.
Effœtus declamator.
Conuitiator ludibundus.
In omni philoſophica diſciplina hoſpes.
Nimis præcox ingenium, verborum ſtrepitus, orationis fucus ineſt in Mildapetto.
Nullis adhuc artibus differendi laudem promeretur.
Nul is adhuc artibus differendi laudem promeretur.
Nullis artibus ſcribendi vituperium effugit.

Iarna-

Larustus.
Verbalista imperitus, nitidus, nouitius,
Verbosa vanitas.

Opinio de unica methodo est { Venenata pestis. / Corruptela studiorum. / Corruptela iuuentutis totius Europæ.

Inanem verborum spumam insolenter nimis dispersam ac diuulgatam habet.
Imprudens puer.
Homo voce tantum valenti & verbis.
Ineptus, & nihil concludens.
Hæreticus cuius recens est furor.
Audacior reliquis.
Minus pudens.
Loquax puer.
Audaciæ plenus.
Alienus ab Aristotele. desto
Alienus ab omni legitimo philosophandi genere & mo-
Imperita facultatis confidentia.
Methodo dialectica non utitur.
Verborum cumulo in aliena messe abutitur.
Asophos.
Mildapettum vobis comedendum & deridendum propino.
Arrogantia P. Rami est in Mildapetto.
Ex homine non est natus.
Nouato & Knauarreno utitur artificio.
Vnica Mildapetti stultitia de methodo superat omnia.
Sacculo il i est opus.
Vanitatis libellus,
Penuria cerebri.
Ieiunium sex mensium.
Est sine succo, sine sanguine, sine substantia.
Verborum copia sine pondere.
Peregrina immodestia.
Lana colligenda fuit detenta summa sapientia Mildapetti
Nam stultifera diutius agitata est sapientia Mildapetti.
Discendit in puluerem dialecticum sibi multo peregrinum.
Spectante Roscio, ridente corona, sibi plaudente seipso gestum

geſtum egit inuenuſtum:
Contemnit Ariſtotelem, Platonem, Galenum.
Oris impudentia.
Rabido & inflammato animi æſtu inſultat Mildapettus.
Fatuus.
Peregrinus in dialecticis.
Dauus eſt non œdipus.
Saltat in rete.
Vagabundæ illi ſaltationi nil' niſi ſtagellum deeſt.
Oſtentatio & leuitas ingenij.
Intollerabilis eloquentia.
Inopia cerebri.
Facultas famelica in arte dialectica.
Mendicus dialecticus.
Nihil habet artis, ne ſpem quidem.
Loquitur in cauſa ſibi prorſus obſcura,
Petulanti procacitatis vomitu debaccatur nemo impudentius.
Diuerſorium ſibi parauit ſine lege, ſine iure, ſine arte & ratione mentiendi.
Tempeſtas ingenii immoderati rapit Mildapettum.
Petulanter multa effutit.
Loquax inſcitia.
Infantia in dialecticis.
Nouus Apollo.
Plenus rabie.
Decimum Angliæ miraculum.
Nouus e terris ſurgit Mildapettus.
Petulans puer.
Eloquentiæ Mildapetti medicina virgæ & viminum adhibenda eſt.
Infinita voluntatis potentia.
Diruit, ædificat, mutat, ponit, tollit, laudat, vituparat omnia in omnibus.
Profuſa & illiterata audacia.
Imperita arrogantia.
Præceps & vehemens verborum turbo.
Venetata tela in te congeſſit.
Intolerablili æſtu coquens & ebulliens excede, euade, erumpe ex ordine quo nunc es in Academia locatus.
Virus acerbitatis ſuæ euomit Mildapettus.
Vehemens animi immoderati tempeſtas.

Multa

Multa audet quæ nullus potest.
Cerebrum e fallaci materia confectum.
Plurimam mendaciorum messem possidet.
Magnum Mildepettus est miraculum.
In audaciæ prorumpit insaniam.
Puerili quæstionum serie procedit.
Artem dialecticam prorsus ignorat.
Adolescentes phalaratis dictis in fraudem allicit.
Verborum fuco et fumo contra solem & lunam, contra stellas deniqne omnes pugnare studet.
Verbosa inanitas.
Syllogismi tui virgam clamitant.
Insanus est.
Bene & gnauiter impudens est.
Est similis nefandissimi Apostatæ Iuliani.
Ista impudentia prorumpet in impietatem.
Author vanitatis nouæ.
Nauarrenus ridiculus.
Passio melancholica Mildapetto dominatur.
Dementia Mildapettum cepit multos menses coquens & versans sub pectore fixa.
Delirium.
Imperitę arrogantię ardore multum æstuans.
Audaciæ immodestia.
Innumerabilia extremæ dementiæ conuitia.
Leuitates animi & dierum canicularium effectus peperit Mildapetti impudentia.
O Phœbe, qualem eo tum die radium emisisti cum insanire cæpit Mildapettus?
Quis Phœbi effectus in vno homine vnquam contigit horribilior?
Quod immodesti ingenij monstrum tetrius Mildapetto excogitari potest?
Ineffrænato verborum sonitu pertotam Argliam (sicut conjecta cerua sagitta) debacchatur.
Nobilissimos & eruditissimos friuola verborum serie interpellat.
Audacissimus omnium.
Mendax.
Geta monitor.
Ignobilis & ignotus.
Male sana libelli series.

Male

Male aſpicit, malaciſtandus eſt.
Nauarrennus transfuga montibus pyreneis deliteſcens.
Audax & impudens.
Stultus & inſanus.

Quorſum iſta (Diplodophile) tanta ac tam inaudita conuitiorum acerbitas? quorſum tam incredibilis calumniarum importunitas? quorſum tam inuiſa linguæ procacitas? Si iſta mihi Calatinus aliquis vel Cato attribueret, equidem reprehenſione a tantis viris profecta vehementius commouerer. Sed cum a Diplodophilo confingantur, quem certè nonnihil & grauitate Calatinus & ſapientia Cato antecedit, quique mihi fortaſſe eſt non ad diem fortuito aduerſarius, ſed conſilio & inſtituto diſciplinæ inimicus: non poſſum herclè nec debeo tantopere commoueri. Quis enim eſt, cui reſponſio tua tanti futura eſt, vt potius iuſta accuſatio videatur quam maledica obtrectatio? Quis Mildapettum inuſtum notis veriſſimæ ignominiæ, aut te hominum opinione non condemnatum putabit? Quis tibi aliquando concedet vt ad defenſionem vel probatiſſimæ cauſæ tam infinitam calumniandi libidinem afferas? Nunc cum a te cauſa agatur minutulæ ſubtilitatis, claudicantis theoriæ, exploſæ diſciplinæ: fieri non poteſt quin commentatio ingenij tui multata iudicio tacitæ cogitationis & conſtricta teneatur. Gratum id nobis & ad exiſtimationem nominis tui percommodum accidiſſet, ſi ipſi tibi per te facere licuiſſet, quod de Venere commemorat Homerus. Illam, poſtquam a Martis complexu ad Cyprum & Paphum feceſſiſſet, Gratiæ illic reuerſam perdiligenter aquis abluebant & oleo ante illinebant, quam ſeſe in Deorum cœtum denuo transferret: Sic hercle prudenter feciſſes, ſi te e

neſci-

neſcio cuius Iauelli litigoſa officina prodeuntem manſuetioribus Muſis lauandum prius & detergendum tradidiſſes, quam lucem aſpiceres & nomen tuum Philoſophorum populo venditares. Verùntamen ferri iſta quodamodo potuiſſent, ſi eleganter, literatè, erudite maledicere, non ſubruſtice, malitioſè, furenter, calumniari voluiſſes. Annon hic iure poſſum veterem illam querelam renouare, eſſe videlicet te minus quam par eſt ſollicitum, qualem de tuo ingenio opinionem naſci neceſſe ſit? Ais tamen ſummæ id tibi curæ ſemper fuiſſe, poſſis vt hominum iudicijs ſatisfacere. Atque inde eſt quod te cum aliorum meminiſſe affirmes, tum impri mis de Comite Eſſexio cogitaſſe. Vereor herclè ne plus aliquanto confingas quam ferat rei veritas. Nam ſi tibi reſponſionem iſtam meditanti illuſtriſſimus Comes veniſſet in mentem, equidem vel ipſa cogitatio tam diuinæ indolis in adoleſcentulo, tam excellentis doctrinæ in Comite, tam egregiæ virtutis in Academico præcipitem audaciam frigidiſſimæ & egentiſſimæ theoriæ coercere potuiſſet. Quod ſi reipſa in eo elaboraueris vt expectatione dignum aliquid & perſonæ tuæ accommodatum peperiſſe videare, nimium te profectò amas dum politioribus hominibus ingenium tuum non modo exilis & incultæ ſed dentatæ & aculeatæ lucubratiunculæ publicatione approbare vis. Sin verò in illud nunquam incubueris, ſed te quaſi æſtus animi abripuerit, labem obiectæ temeritatis recenti mendacio cumulaſti.

Sed hactenus ad depellendam cõtumeliam, quam inurere nomini meo conquiſitis vndique conuitijs voluiſti, petoratum eſto. Sequitur iam ſtudium illud tuum duplicis methodi confirmandæ ex authoritatis

tis argumento. Vt vero munus iſtud honorifice obire poſſis, & ſumma omnium admiratione conficere, duo & quinquaginta teſtimonia, tanquam res in foro apud Iudices ageretur, e commentationibus Ariſtotelicis corrogaſti & excitaſti. Atqui vero mirificè teſtimoniorum architecte, cur de inſtitutæ diſputationis curriculo deflectens, animum ad Ariſtotelei nominis argumentum tranſtuliſti? Cur me ex comparato & conſtituto ſpatio iuſtiſſimæ defenſionis velut in gyrum nimis anguſtæ de authoritate Philoſophi & ieiunæ altercationis compuliſti? Non agitur in dialogo tuo ſitne methodus authore Ariſtotele bipartita, ſed illud contra P. Ramum, Methodum non eſſe vnicam, *entechnos* ratione comprobatur, non tam *atechnos* Philoſophi authoritate confirmatur. Nam ſi id tibi propoſitum fuerat, vt aduerſus P. Ramum confirmationem bipartitæ methodi Ariſtotelis teſtimonio diſceptares, cur artificialis argumenti vim tam ſæpe attuliſti? Cur aliorum hominum authoritates tam ſolicitè aggregaſti? Cur nomen Triſmegiſti, Platonis, Galeni, Plotini, Louanienſis Academiæ, Thomæ, Alberti tam frequenter inculcaſti? Cur P. Rami errorem citantis ex Ariſtotele teſtimonia meliore interpretatione non refelliſti? cur denique eundem citatis locis reſpondentem non coarguiſti? Hæc te (Diplodophile) accerſitis e ſolo Ariſtotele teſtimonijs non illa feciſſe oportuit, ſi modo Methodum ex Ariſtotelis opinione eſſe duplicem contra Ramum docere voluiſſes. Quò cum vim & neruos eclogariæ theoriæ non intenderis, ſed lautioribus quibuſdam concluſiunculis litigaueris: facis iniuriam Mildapetto, dum eum ab vberrima diſputatione ad exilē & miſellam de Ariſtotelica authoritate quęſtiunculam

unculã reuocas. Cedis profectò non ſatis honeſtè, & quaſi abiectis haſtis inſtitutũ certamen detrectas: quodq; ratione nõ poterat, id authoritate vinci poſſe arbitraris. Eſt herclè huius ſæculi macula quædã nimiũ authoritati Philoſophorũ tribuere, & velle naſcentis opinionis quantumuis veræ ac nixæ eleganti ratione, tamẽ ipſum florẽ ne latius ſerpat infringere ſtatim & cohibere. Inde eſt quod a nobis poſtulent Ariſtotelici, vt peripateticorũ principẽ admiremur: vt ipſos Lycæi parietes veneremur: vt Ariſtotelis vocẽ velut diuinitùs miſsã putemus. Sed aliud a nobis Ariſtotelei, aliud requirit Philoſophia. Quid ergo philoſophia? quid præcipit? nihil nõ illius cogitatũ præclarè: nihil nõ cõſtitutũ ſapientiſſimè: adeo vt quod ab ipſa iudicetur eſſe pulcherrimũ, id nobis videri debet præſtantiſſimum. Quid igitur cenſet? ſi conſulit, ſi præcepto ſancit, ne quid Ariſtotelis nomine antiquius & authoritate ſanctius eſſe putẽ, ne excutiã vim peripateticæ diſciplinæ, ne eidẽ repugnẽ aliquando & aduerſer: ſciſcitabor ex ea, etiãne fuerit cũ id fecero, ſophiſmati & errori ſuffragandum? etiamne fuerit de vanitate retinẽda inaniſſimę argutiolę dimicãdũ? ſi aſſẽtitur, nę ego iſti Philoſophię, quãuis ſit ſapiens, non parebo: & quãuis ſit erudita, non audiã. Sin vero ſuadet, vt viribus rationũ, non authoritatis ponderi, & clariſſimæ vſus veritati non cõmento ſcholaſtici ingenij cedẽdũ eſſe exiſtimẽ: ſi monet, vt quæ diſciplinarũ legibus cõſentanea ſunt & fructu quodã diffuſa latiſſimè, ea ornẽ & defendã: quæ autẽ eiſdem contraria fuerint atq; abhorrentia a conſuetudine vitæ cõmunis, ea liberius inſecter & peruellã: tũ demũ philoſophiæ vocẽ nõ modo audiã diligentiſſimè, ſed eidem parebo libentiſſimè. Quid enim? parumne abeſt a philoſophię dignitate, philo-

ſophi

ſophi alicuius legibus & inſtitutis alligari? parumne referre arbitramur, quibus animum præceptis, quo apparatu inſtruamus? in ijs quæ ad corporis vſum cultúq; pertinent diſquirēdis multū ſtudij ponemus, in deligendo animi ornatu oſcitantes erimus? Nihil profecto minus conuenit. Itaque ſi quem ad elegantiam diſciplinæ informari velim, ſuadebo vt in illis eruditis libellis verſetur, ſed adhibita accuratione iudicij, ſed interpoſito dilectu, ſed aduocata luce dialecticæ ſapientiæ. Illam verò vulgarem authoritatis trutinam vt arroganter contemnat, non requiro: vt ab indagatione veritatis longiſſimè remoueat, admonebo. Ac proinde ſi ſeſe ad Philoſophorum commentationes aliquando retulerit, tantum ab vnoquoque ſumet ad expolitionem ingenij, quantum erit in vnoquoque frugiferæ diſciplinæ. Si in Stoa Zenonis aut reliquorum Stoicorum dumetis peregrinetur, non recuſabit quin ea ſecum afferat e Stoa, quæ ſunt ad veritatem a Stoicis limata ſubtilius. Si Platonis Academiam inuiſat, & cum Socrate diuiniſſimo homine ſub Platano philoſophetur, faciet perlibenter ſeſe vt Socraticis ſermonibus inſtitui ſinat ad gloriam prudentiæ & doctrinæ. cauebit tamen ne quid ad ipſum ex illa vmbra Platani redundet, quod nimis tenue & vmbratile videatur. Sunt enim quædam nata in vmbraculis Academiæ, quæ ſi in ſolem educantur, lucem certe ferre non poſſunt. Si vero ad Ariſtotelis Lyceum diuertat, non patietur ſe ſophiſmatis ſubtilitate irretiri, ſed in ijs diſſipandis ſumma libertate vtetur, quæ ſunt ab Ariſtotele aut aniliter ſomniata aut diſceptata frigide. Verum enim ab hominibus iſtis, qui ſeſe ab vſu forenſi in receſſum & latebras ad elegantiam politulæ theoriæ procudendam con-

icce-

iecerunt, vetus illa magiſtra veritatis ac ſapientiæ Cenſoriæ nempe Academicæ inquiſitionis ſrueritas ſublata eſt. Adeo vt Ramea veri diſceptandi via non modo incurſionibus ſophiſtarum pene infeſta ſit, ſed etiam eruditorum quorundam præiudicijs non ſatis prudenter condemnata. Sed quorſum iſta tam multa? Nimirum vt intelligas (Diplodophile) te in digreſſione iſta nugatoria a priore theſi ad nouam, ab acurata ratione ad nomen authoritatis, a philoſophia ad philoſophum, ſtultam operam & ſophiſticam potuiſſe. Veruntamen dummodo & illa prior velitatio renouetur, iſtam de Ariſtotelica authoritate palæſtram non recuſo. Nam vtcunque de cæteris Peripateticæ familiæ inſtitutis ſentiam, certè Ariſtotelem de methodo diſſerentem non repudio: immo quantam vim tua ex Ariſtotele teſtimonia ad demonſtrationem bipartitæ methodi attulerunt, tantum de vnicæ methodi dignitate detractum confitebor. Ac quoniam mihi videris iſta tot aggregata in vnum pro duplici methodo teſtimonia tanquam e tripode oracula putare, non patiar te diutius errare, vt in iſtis, quibus lautum te hominem ac beatum iudicas, neſcio quid eximij ineſſe arbitrere. Niſi enim ipſe tibi nimium aſſentêre, facile intelliges te in Ariſtotelicæ & Rameæ methodi diſciplinam loquaculæ theoriæ cogitatam libidinem intuliſſe. Age igitur: Ariſtotelicæ authoritatis negotium aggrediamur: & rectene duo ac quinquaginta teſtimonia citentur videamus. Quodnam igitur primum eſt? equidem Porphyrij, Beotij, Louanienſis Academiæ. At verò theoricæ diſciplinæ magiſter quid agis? cur propoſitum de Ariſtotelica authoritate problema obliuiſceris? Demonſtrationem bipartitæ methodi

ex

ex Aristotele depromptam profiteris ac polliceris Cur itaque a Porphirio, Boetio, Louanienſi Academia exordiris? Remoueri vult ab hac quæſtione P. Ramus iſtorum hominum teſtimonia: Aristotelem non Aristotelicæ philoſophiæ interpretem appellat. Sed quid tandem Porphyrius, Boetius, Louanienſis Academia? Loquuntur certè de totius organi methodo: compoſitoriam eſſe dicunt. Nam primo ſimplicis dictionis præceptum exponitur: Deinde enuntiati doctrina inſtituitur, poſtremo ſyllogiſmorum leges explicantur. O vocem optatiſſimam præclariſſimi teſtimonij. Hæc eſt illa methodus a P. Ramo tantopere celebrata. Hac ipſa conſtructum eſſe organum confitetur & prædicat. Huius conſilio cæterarumque legum imperio vnamquamque artem & in ſuam veluti tribum tranſtulit, & in elegantem formam redegit. At methodus Ramea (inquis) eſt a natura prioribus & generaliſſimis. Quid tum? Quaſi vero illa Organi diſpoſitio, quam affers, non ſit ita conformata, vt primum generaliſſima, tum ſubalterna, ad extremum ſpecialiſſima collocentur. Nam argumentum eſt enuntiato generalius, enuntiatum ſyllogiſmo: vtpote cum argumentum in enuntiato & ſyllogiſmo inſit communiter: non autem in argumento enuntiatum, aut in enuntiato ſyllogiſmus. Ac cum argumentum, ſiue (vt tu appellas) dictio ſimplex ſit enuntiati ſyllogiſmique materia: materia vero effectum antecedat: quomodo argumentum enuntiato ac ſyllogiſmo prius natura non dicetur? Iſtam organi a generaliſſimis deſcriptionem 1. cap. lib. 1. prio. approbare videtur Ariſtoteles: inde enim Ariſtotelem topica Analyticis, id eſt inuentionem iudicio præpoſuiſſe colligitur: adeo vt lo-

cus ille Ramęę methodo ſuffragetur, tuo inſtituto aduerſetur. Eadem methodo a natura prioribus, etiam te confitente, phiſiologiæ ſtructuram informauit, & coagmentationem Ethicæ philoſophiæ adornauit. Cum igitur Ariſtotelicæ diſciplinæ corpus integrum ſit vnius eiuſdemque a generalibus methodi artificio conſtitutum: non potes e primi teſtimonij dignitate duplicis methodi concludere rationem. Quanquam vtcunque concluſam vidiſſem: tamen, cum controuerſia Ariſtotelis te ſtimonio dirimenda ſit, aſſentiri me tibi de allati teſtimonij religione nulla religio coegiſſet. Sed quod authoritate Porphyrij, Boetij, Louanienſis Academiæ conſequi non potes, id fortaſſe Ariſtotelicæ commentationis teſtimonio conſequere. Nam tam luculenta te & illuſtria ex Ariſtotile teſtimonia attuliſſe gloriaris:

> Vt nullus ne ſponte, ne natura, ne errore aut furore cœcus, nullus ne Ramiſta quidem negare poſſit duplicem eſſe methodum docendi ſcientias ſecundum Ariſtotelẽ.

Magnifica ſane verba: ſed quæ iſtius controuerſiæ euentus eſſe ſtultiſſima comprobauerit. Quid enim? vbi ſunt iſta tam præclara teſtimonia? Ariſtoteles (inquis) 1. cap. lib. 1. periherm, loquitur hijs verbis:

> 2 Conceptus in anima aliquando ſine veritate falſitateque eſt: ſic in voce: nam verum & falſum in compoſitione diuiſioneque eſt. Ergo duplex eſt methodus ſecundum Ariſtotelem.

Quid? in primo teſtimonio tantane leuitas? tantane cœcitas in exponendo Ariſtotele? attende quid dicatur, intelliges doceri a philoſopho quomodo ex argumentorum diſpoſitione affectio veritatis ac falſitatis oriatur. Notiones illæ animo comprehen-

prehenſæ, ſi ſeiunctæ aliæ ab alijs & ab axiomatica diſpoſitione liberæ conſtiterint, nihil veri falſiuè enuntiant. At ſi coniungantur & aliquo communi vinculo in vnum illigentur, ſententiæ veritatem aut falſitatem complectentur & expriment. Quomodo itaque teſtimonium illud ad confirmationem inſtitutæ quæſtionis detorqueri poteſt? niſi fortaſſe iſta, de qua loquitur Ariſtoteles, compoſitione ac diuiſione vim compoſitoriæ & diuiſiuæ methodi comprehenſam putes. At verò, mirifice interpres, illa compoſitio nihil aliud Ariſtoteli eſt, quam argumenti cum argumento ad formandam affirmationem velut amica quædam coniunctio. Et qui in diſponendis argumentis alterum ab altero ſic diuidit vt negationem enuntiati conſtituat, is Ariſtotelicam iſtam diuiſionem meditatur. Quid eſt? num peruerſæ interpretationis commentum affero? Conſule illam, cui tantum tribuis, Louanienſem Academiam. fortaſſe es, ſi tanta authoritas acceſſerit, errorem correcturus. Progredere verò: & conſequens teſtimonium exprome.

Item (inquis) I. cap. lib. I. prior. Terminum voco in quem reſoluitur propoſitio. Ergo. 3

Equidē iam ſuccenſeo Dorbellæ, qui te etiamſi multum ſtudij adhibueris, tamen nihil ſapere docuit. Qui enim potes ex Ariſtotelica termini definitione duplicem methodum elicere? Sed intelligo ſubtilitatem & acumen tuum. Vſus eſt Ariſtoteles in definienda termini natura vocabulo reſoluendi: ideoque tibi de methodo reſolutoria agere viſus eſt. Acute colligis. Quod ſi Mulæ partes appel-

lasset, in quas Mula resoluitur: tu mentionem continuò Analyticæ methodi factam putasses. Annon vides aliud esse analyticam methodum, aliud enuntiati iam facti analysin? Illa rerum iudicatarum dispositionem pro naturæ in singulis claritate intuetur: hæc nudi axiomatis structuram retexit: adeo vt cum ex terminis constet, in terminos resolui necesse sit. Sed finge illa termini definitione Analyticam methodum notari: vbi compositoria? nisi enim allato testimonio vtraque comprobetur, actum de causa est. Quam igitur præterea methodum termini definitio proponit? Certe contrarium e contrario intelligendum. Loquitur de propositionis analysi: ac proinde colligendum præcessisse genesin. Si causam in foro perorares, ratio tam involuti testimonij suspecta iudicibus & inepta videretur. Verùm sit explicatum satis & euolutum: attamen citatum stultè & sine Iudicio. Nam genesis illa est argumenti cum argumento Aristotelica ad enuntiatum constituendum dispositio: non est illa ridicula genesis, quæ a specialissimis exorsa ad generalissima persubalterna progreditur. Quomodo iam ex istis illud tuum *Ergo* inferetur? Aristoteles ait propositionem resolui in eos terminos, e quibus componitur. Conclude obsecro. *Ergo secundum Aristotelem duplex est methodus docendi scientias:* alia nempe, qua resoluitur propositio in duos terminos: alia qua componitur e duobus terminis. Quis non harum methodorum præstantiam admiretur? Si tibi ars aliqua esset ad legem analyticæ methodi digerenda, quid faceres? opinor quamlibet artis propositionẽ in duos terminos statim resolueres. O te elegantẽ analyticæ methodi artificem. Quod si verò cõpositoriæ methodi consilio scientia disponenda

esset,

esset, quid tum agendum censeres? dubium non est quin pro tua excellenti sapientia illico terminum cum termino ad conflandam propositionem coniungeres. Pulchre meherculè. Ac si propositiones istas sic e duobus terminis compositoria methodo constitutas ad aliquam legitimæ collocationis formam reuocares, qua tandem methodo vterere? non geneſi: ea enim ad vnamquamque componendam præcessit.non analysi: quia non ordinem propositionum instituit, sed propositionem in terminos resoluit. Quid ergo? noua profectò methodus exquirenda. Sed ab Analysi ista & geneſi discedamus. Quid sequitur? insigne sane testimonium?

Capite 23. lib. 1. prior. Quod est sumptum principio ex hypothesi mõstratur: ostensiuos autem syllogismos prius docuimus. 4

Ecquid ex hisce verbis elegantiam bipartitæ methodi concluſam esse dices? At hoc ne Scotus quidem ipse vnquam diceret: quem, quia toti illi sophistarum gregi iure inimicus sum, doleo a te iam omnibus sophismatis esse superatum. Sententia quam testimonij loco esse vis, id docet, Quæstionem scilicet syllogismi ad incommodum ducentis probari ex hypothesi: deinde Aristotelem explicasse, nullum esse syllogismum (vt loquitur) ostensiuum, qui non tribus figuris concludatur. Quid hæc ad duplicem methodum? Qualem nobis conclusionem obtrudis? Aristoteles ait & syllogismum aliquem concludi ex hypothesi, & se de ostensiuis argumentationibus antea locutum esse.

Ergo est duplex methodus docendi scientias secundum Aristotelem.

Ecquis e tanta philosophorum multitudine vnquam extitit, qui eiusmodi consequentiam approbandam putauit? Verum istis testimonijs fortasse lusisse te contendes. Esto. At duplicem tamen methodum sic illustrant vt nullus ne furore quidem cœcus negare possit. Sed enim & reliqua audiamus.

5 *Cap.30. lib.1. prio. Est autem & alia modo quædam horum colligere, & vniuersalia per particularem inspectionem ex hypothesi: postea eodem modo & ordine. Ergo.*

Vtinam typographus rogatu tuo plura istius inuectiuæ exemplaria dedisset typis & peruulgasset. Vereor enim siquis in tuam responsionem non inciderit, ne is tam insulsa a me confingi testimonia, contra quæ disseram, arbitretur. Nam quale est istud? Aristoteles de certa quadam ratione rem vniuersalem illustrandi & concludendi loquitur. Quæ est hæc tam singularis inscitia, quæ ab Aristotele de concludendo differuntur, ea ad duplicis methodi probationem arripere? Nunquamne intelliges syllogismi naturam a methodo disiunctissimam esse? E ce idem fere in consequenti testimonio reponitur.

6 *Cap.23. lib.2. prio. Omnia aut per syllogismum aut per inductionem credimus. Ergo.*

Quasi vero de ratione comparandæ scientiæ, non de rei cognitæ iam ac probatæ dispositione ageretur. Vult Aristoteles vnumquodque syllogismo aut inductione cognosci. At aliud tamen Aristoteli

est

eſt rem ſcire & intelligere: aliud intellectam methodo diſponere. Ecquid pudet in colligendis teſtimonijs tam plumbeum extitiſſe? Tibi affirmata argumentorum in axiomate compoſitio methodus eſt: tibi argumentorum ad exprimendam enuntiati negationem diuiſio methodus eſt: tibi geneſis enuntiati ex duobus terminis methodus eſt: tibi eiuſdem in duos terminos analyſis methodus eſt: tibi ſyllogiſmus, tibi inductio methodus eſt. Non diſſimilem in cæteris teſtimonijs ſapientiam oſtendis. Quam enim in proximo nugaris pueriliter?

Cap. 1. lib. 1. poſt. Omnis doctrina fit ex præexiſtente cognitione: manifeſtum hoc eſt in omnibus ſcientijs, cum quæ per ſyllogiſmum, tum quæ per inductionem: ambæ enim per prius notum faciunt doctrinam. Ergo. 7

Quid? qui tua legerent, an ſperabas fore vt eorum mentes ſtupor quidam opprimeret? Cui ignotum eſſe poteſt illud ab Ariſtotele hiſce verbis demonſtrari omnem videlicet *dianoeticen epiſtemen* ex antecedente rerum perceptarum cognitione efflorescere. Ad cuius rei fidem inductione ſpecierum vtitur. Mathematicæ (inquit) aliæque artes, ſyllogiſmus, inductio, exemplum, enthymema lucem ſuam ab alijs accipiunt cognitionemque deducunt: Omnis itaque *dianoetice* ſcientia e quibuſdam antecognitis exoritur. Nulla hic bipartitæ methodi ratio attingitur: niſi fortaſſe vbi ſyllogiſmus & inductio nominentur, ibi duarum methodorum notari vim & explicari putes. Immo ex illo primo capite lib. 1. poſt. Rameæ methodi dignitatem animaduertere potu-

isses. Vult enim Aristoteles e præcedente rerum generalium cognitione scientiam specialium redundare. Ac proinde generalia Aristotelis iudicio præponenda specialibus. Quin tu iam horum testimoniorum diuinitatem prædicas? Ex eodem capite velut e feraci quodam methodorum seminario quatuor deducis insuper testimonia: sed ita leuia & nugatoria, vt sua ipsorum imbecillitate potius quam aliena vi concidere videantur. Nam quam scitum est illud?

8 *Eodem cap. Cognoscere est prius ea cognoscentem, id est alio modo prius cognouimus. Ergo est.*

Tua (Dilpodophile) græcæ orationis interpretatio nescio quam obscuritatem peperit. Si quis vel græca expendat vel e græcis redditum ab aliis, quæ sit subiecta verbis sententia, ignorare non potest. Perspiciet enim non de duplici methodo quicquam tradi, sed de congnitione aliunde deducta thesin illam superiorem adhuc produci: cognitione (inquam) quę vel e lumine tertii argumenti vel e comparatione rei specialis cum generali enascitur. Huc pertinet etiam noni testimonii vis.

9 *Eodem cap: Hoc enim pacto simul ut inducti sumus non nullas res discimus & cognoscimus, scilicet quæ singulares sunt nec de subiecto ullo dicuntur. Ergo.*

Quid (inquam) hic aliud explicatur quam illud, rem specialem generali comparatam absque tertio argumento concipi posse & intelligi. ut si quis de aliqua causa dubitet sit ne in efficientibus numeranda, eam ipsam

ipſam ad efficientis definitionem reuocet & expendat: de re ſtatim conſtabit. De decimo teſtimonio quid loquar? quid etiam de vndecimo? vtrumq; rem & eandem & apertam complectitur.

Eodem cap: Antea vero quam facta eſt inductio, partim fortaſſe nos ſcire, partim neſcire dicendum eſt. Ergo. 10

Eodem cap. Sed nihil ut arbitror obſtat ſi id quod diſcit quis partim quidem nouit, partim ignoret. Ergo. 11

Ecquid te pudet tuum illud *Ergo* hiſce teſtimoniis ſubieciſſe? Ait philoſophus poſſe aliquid generali notione cõprehendi intelligique, quod tamen in ſpecie ignoretur: adeo vt rem tum demum vere perfecteque ſciamus, cum generalem ſcientiam præſtantibus rerum ſpecialium exemplis confirmatam vſuque conſtitutam habuerimus. Scio (inquid meno) generaliter: ſpecialiter neſcio. Ex genere cognito ſpeciem addiſco. Quomodo tandem ex iſtis bipartita methodus deducetur. Sed maius quiddam ac magnificentius eſt quod ſequitur.

Cap: 2. lib. poſt: Dupliciter priora & notiora dicuntur: non enim idem prius natura & ad nos: neque notius ſimpliciter & ad nos: neque notius ſimpliciter & nobis. Dico autem ad nos priora & notiora, vicinniora ſenſui: ſimpliciter vero priora

&

& notiora remotiora, remotissima vniuersalia maxime, vicinissima autem singularia. Ergo.

Ad comprobandam huius testimonii vim ornandamque excellentiam *Magistrum Parisien, Thomam, Scotum, Ammonium, Aegidium* aduocasti: Quem tu mihi Parisiensem magistrum? quem Ægydium narras? Non ego alicuius Ægidii quotidianam loquacitatem siue vsu, nec e Thomæ schola exilem aliquam & absonam cantilenam requiro sed a Cantabrigiensi philosopho vim acutissimæ rationis & iudicii grauitatem expecto: immo & in hac causa non alicuius peripatetici somnium, sed illustrissimi ex Aristotele testimoni religionem efflagito. Sed Parisiensis ille magister quid ait? equidem omnem scientiam e rerum sensu perceptarum obseruatione & inductione defluxisse monet. Assentior Parisiensi magistro, homininemque laudo. Te vero, qui Parisiensem magistrũ ad commendandam tuendamque fidẽ allati testimonii appellaueris reprehendo. Ecquid enim huius magistri de origne disciplinarum opinino tuæ duarũ ex Aristotele methodorũ demõstrationi suffragatur? Quousq; in definiẽda logicæ methodi natura balbutire vis? quousque pro methodo rei inuentæ ac iudicatę ad ordinẽ reuocãdæ viã aris inueniende opponeS? Nõ agitur de rerum inuentione sed de iparũ, postquã & inuentæ, & vel enuntiato æstimatæ, vel syllogismo disceptatæ fuerint, forma ac collocatione differitur. Nunquã ex illa notioris ac prioris diuisione magister Parisiensis, si vere & ad Aristotelis sensũ accomodate interpretari vult, duas methodos deduxerit. Aristoteles cum iam scientiam *Dionoeicen* e prioribus & notioribus nasci deducique confirmauerit,

uerit,ne explicasse intelligentiam suam parum diserte ac definiuisse videatur,ad significationem notioris & prioris illustrandã digressiuncula quadam vtitur.Nulla hîc Aristotelis de rerum disponendarum ordine cogitatio. Habes in huius explicatione sententiæ repugnantem tibi *Decanum & Facultatem artium Louanienſium*. Quid enim decanus & veneranda facultas illa? *Pro maiore* (inquiunt) *declaratione Penultimæ & antepenultimæ particularium definitionis* (intelligitur demonstrationis definitio, quam elicit ex Aristotele consensus Louanienſis) *Duplicia notiora atque priora distinguntur.* Attendisne Theoripoie,quid loquatur Decanus? Qui authoritatem Louanienſis decani tibi in dialogo sacro sanctam esse vis, non debes in huius loci interpretatione temere repudiare.verũ enim uero de partitione ista Notioris satis longa oratione disseruit Mildapettus? docuitque e P.Ramo & elẽcho cõparationis sophisticã esse, & si maxime vera esset, tamẽ a demonstratione bipartitæ methodi alieniſſimã.Excute ista de re disceptationẽ Mildapetti:videnum ferre lucem possit dialecticæ sapientiæ. Non illud iudicibus nostris facit satis, dum vociferaris nihil vel cæterarum rerum,vel huius partitionis a Mildapetto refutatum esse. Ostendas reipsa oportet, quod voce tantopere contendis. Mitto partitionis infantiam:sit si placet accuratiſſimæ veritatis partitio. Quomodo bipartitæ methodi sapientia inde colligetur? Dicit(inquies) Aristoteles alia esse nobis notiora,alia esse natura & simpliciter notiora.Quid ideone dicit duplicem esse methodum, alteram a notioribus nobis,alteram a notioribus natura? hanc ego consequentiam inficior & pernego: præsertim cum longe alio consilio id ab Aristotele dictum esse videam. Quid? cum P. Ramus enuntiatum distinguit

guat in generale & ſpeciale, cur non inde duplicem methodum de Rami ſententia concludis, aliam nempe a generalibus enutiatis, aliam a ſpecialibus? cur etiam, ubi vndecim modos prioris metaphyſicus ſophus confingit (confingit hercle cap: 11. lib. 5. Metaphi) cur inquam eo in loco Ariſtotelem de vndecim methodis agere non dicis? profecto negotium valde ridiculum agis. Non poteſt Ariſtoteles rei notioris & prioris vel leuiſſimam mentionem facere, quin tibi ſtatim de bipartita methodo ſomniandum ſit. At dices forſitan rationem duplicis methodi non tam ab Ariſtotele ex illa notioris partitione concludi, quam facilime poſſe colligi. Itane vero? pro Ariſtotelico teſtimonio tuam nobis coniecturam obtrudes? ecquid ad litem in forenſi ſtrepitu diſceptandã ſatis id graue teſtimonium eſſe putas, ſi quis ad teſtandum probabilem ſe coniecturam attuliſſe clamet? Remoue quæſo coniecturas iſtas quas in Ariſtotelici teſtimonij interpretationem nimis multas tranſtuliſti. Verum cedo id mihi doctor methodice: ſi e diſtributione Notioris duplex methodus inferenda ſit, qualẽ vis eſſe a notioribus nobis? utrum artis inueniendæ viam an vero rationem res ſpecialiſſimas iam inuentas primo loco collocandi? Si ea alicuius inuentionis diſciplinam contineri placet, equidem a poſita quæſtione ad nugandum digrederis. Sin vero methodum a ſpecialiſſimis notari contendis, oſtende obſecro quænam ſpecialiſſima intelligas: ſi rem ſingularem & ſenſibus obiectam nomine rei ſpecialiſſimæ complecteris, ex iſta methodo nulla ad artes redundat utilitas: quippe cum rebus ſenſu comprehenſis nihil in artibus ſi Aſtronomiam excipias loci ſit. Quod ſi eadem tibi ſunt ſpecialiſſima quæ ſubalterna, partitionis

membra

membra confundis: cum ſubalterna propter communem pluribus naturam ſint notiora ſimpliciter & natura. Quid eſt? num huius teſtimonii leuitatem conuinco? num tuam in Ariſtotele deprauando temeritatem illuſtro? ſed mittamus iſta: & videamus. ſit ne tua in reliquis theoria fœlicior.

Cap. 10. lib. 1. poſt: Quemamodum. ii. qui, contemplantur vniuerſalia, non nulla ſingularia ſæpe neſciunt. Ergo. 13

Quod in decimo & vndecimo teſtmonio propoſueras, idem nobis in decimotertio reponis. Locus monet de traducendis in uſum generalibus: ut quæ generali notione comprehendamus, eorum veritatem in ſingularibus exploremus. Sic & generalium natura luculentius intelligitur, & quæ intelligentiã noſtram ante latebant particularia, ea generalum applicatione illuſtrabuntur. Scis fortaſſe in genere Diplodophile quid ſit cauſa efficiens: vtrum vero hæ illæue res ad claſſem efficientium referendæ ſint, id tibi ignotum eſſe poteſt. Et qui generatim intelligit cibo dulci vim nutriendi contineri, is forte hic an ille cibus dulci ſapore ad alendum temperetur ignorat. Id vero tuam iſto in teſtimonio theoriam feſellit, quod illa vocabula (vniuerſalia nẽpe & ſingularia) in conformanda & explicanda ſententia a philoſopho vſurpentur. Inde enim conſequi vis methodum ab vniuerſalibus vnam, a ſingularibus alteram. Ego iſtuiſmodi verba cautius deinceps attingam. Non loquar aliquando niſi timide & diffidenter, de compoſitione, diuiſione, geneſi, analyſi, ſyllogimo, inductione, notiore, priore, vniuerſali, ſingulari. Iſtis enim

nim verbis ſi ad interpretanda ſenſa mentis vtar, vereor ne a meipſo contra me teſtimonium duplicis methodi arrepturius ſis.

14 *Cap.12.lib.1.poſt: Nam aut ſimpliciter quiſpiam eſſe aut non eſſe putat, aut per ratiocinationem. Ergo.*

Differitur de ignoratione, quot nempe modis oriatur. Oritur (inquit Philoſophus) vel e ſimplici rerum æſtimatione, vel e ſyllogiſmo. Cannas Mithradaticumque bellum: Iam dic Theoripoie de tribus capellis.

15 *Cap.14.lib.2.poſt: Manifeſtum eſt ſi ſenſus quiſpiam defuerit, neceſſario & ſcientiam aliquam deeſſe, quam quidem conſequi non poſſumus, ſi diſcimus vel inductione vel demonſtratione. Ergo.*

Hoc in capite probat mihi vehementer ingenium ſuum Ariſtoteles. Etenim ad originem ſcientiarum, quæ ſenſilium obſeruatione exemplorum & inductione conſtat, demonſtrandam pereleganter philoſophatur: res eſt concluſa ſorite:

Si ſenſus deficit (inquit Ariſtoteles) deficit inductio: ſi deficit inductio, deficit vniuerſale: ſi deficit vniuerſale, deficit ſcientia. Itaque ſi ſenſus deficit, deficit ſcientia.

Vtinam Ariſtotelicæ diſciplinæ interpretes iſtum ſoritem diligentius attendiſſent. Nunquam aut tot Scoti & Dorbelli viguiſſent, aut tot argutiarum com-

comment a in liberales artes irrepſiſſent. Sed enim quomodo ex iſto teſtimonio binarius methodorum numerus concluditur? appellatur (inquis) inductio: nominatur demonſtratio. At (inquam) inductione ratio inueniendæ non diſponendæ artis comprehenditur: & demonſtratione conſequentia ſyllogiſini, non ordinis conuenientia iudicatur. Ecce in reliquis ex eodem capite deſumptis teſtimonijs idem obijcitur.

Cap. Exod: Fieri non poteſt ut vniuerſalia percipiantur niſi perinductionem. Ergo. 16

Exod: cap: Neque enim ex vniuerſalibus ſcientia abſque inductione, neque per inductionem ſine vi ſentiendi. Ergo. 17

Ariſtoteles quem prius contexuit ſoritem, eundem deorſum verſus retexit. Scientia (inquit) non exiſtit abſque vniuerſali nec vniuerſale efficitur ſine inductione, nec inductio efformatur niſi acceſſerit ſenſus. Quamdiu nos inductione iſta eludes? Quamdiu in ſcientiæ inueſtigandæ præcepto delirabis? de inueniendis per inductionem generalibus confitemur: vnica tamen eſt rerum generalium, quæ inductione ſpecialium conſtitutæ ſunt, ordine collocandarum methodus.

Cap. 15. lib. 2 poſt. Quapropter a ſingularibus ad vniuerſalia aſcendere oportet. Ergo. 18

Quod ab Ariſtotele de conficienda definitione dicitur, id tu ad methodum imperitè transfers. Diſſerit

ſerit oportere ad indagandam generis definitionem res conſiderari ſingulares: & quid in illis commune ſit notari: ex obſeruata vero rerum aliquarum in ſingularibus communione propriam generis differentiam & affectionem educi. Qui hanc in conſtituenda generis definitione viam perſequitur, is Ariſtoteli in hoc capite a ſingularibus ad vniuerſalia aſcendit.

19 *Cap.18.lib.2.poſt. Inſito autem animalibus ſenſu, in quibuſdam formæ ſenſibilis manſio fit, in quibuſdam non fit. In quibus autem non ſit, biſce præter ipſum ſentire aut omnino cognitio nulla, aut eorum cineaquæ formæ manſio non fit, nulla. Ergo.*

Quæſtio apud Ariſtotelem de principiorum cognitione agitatur, idque in vtramque partem. Cui ſic agitatæ iſta tandem ſolutio ſubijcitur: Cognitionem ſcilicet principiorum non eſſe natiuam ſed aſcitam aliunde, ab illa nempe ſingularium per ſenſus inductione profectam. Ad huius ſolutionis exornationem animalium diuiſio infertur. Animalia (inquit) quædam rei ſenſu perceptæ notionem memoriamque retinent: quædam vero eadem non retinent: quibus autem ſtatim effluit, ea nullam habent rei perceptæ cognitionem, niſi quamdiu ſentiunt. At quibus diutius inhæret, alia ex illarum rerum memoria ratiocinationem habent: alia non habent. Sic animalium tali diuiſione ſolutio illa illuſtratur, vtidoceatur nimirum, cum ſenſus ſit omnium animalium communis, cognitionem tamen principiorum e ſenſibus ortam eſſe quorundam propri-

propriam. Vbi hîc duplex methodus? quomodo animalium distributio ad illustrationem cuiusdam solutionis adhibita habere in isto negotio vim potest legitimi testimonij?

Cap.eodem. Ex sensu igitur fit memoria, e memoria experientia nascitur, ab experientia notitia fit. Ergo. 20

Cap. eodem. Neque igitur determinati habitus sunt, neque ab alijs ad cognoscendum magis aptis habitibus, sed a sensu fiunt. Ergo. 21

Cap.eod. Necesse est igitur vt ex bijs patet ipsa prima inductione cognoscere: sic enim & sensus efficit vniuersale in nobis. Ergo. 22

Tria video ex eodem capite testimonia, sed ad binarium numerum methodorum concludendum non magis accõmodata sunt quam Virgiliana Corydonis & Damætæ contentio. In primo & tertio constituendi principij & intelligendi ratio explicatur. In secundo superioris de principiorum notitia quæstionis solutio concluditur.

Cap.3.lib.1.Top. Primum igitur contemplandum ex quibus methodus. Si nempe acceperimus ad quot & qualiam & ex quibus orationes sunt, & de quibus syllogismi, fiunt enim orationes ex propositionibus. Ergo. 23

De arte topicæ disciplinæ, quam appellat methodum, quibus rebus constet ac perficiatur, topicus

doctor ſibi contemplandum eſſe iſta oratione monet. An igitur de ſubiecto topicæ inuentionis inſtituta præfatio eſſe poteſt duplicis methodi ex Ariſtotele teſtimonium? Conſimilis teſtimoniorum concinnitas in ſequentibus exhibetur.

24 *Cap.5.lib.1.top. Sed non propter hoc vna in omnibus vniuerſalis methodus eſt quærenda. Ergo.*

De difficultate communis inuentionis agitur. Opinatur ſiquidem Ariſtoteles argumentorum locos eſſe rerum certarum proprios, non omnium communes: ideoque ait generalem inueniendi viam & ad res omnes communiter attinentem quærendam non eſſe. At te (Diplodophile) P. Rami dialectica, ſi illius beneficio vti non graueris, iſto ſophiſmate liberabit: docebitque communem inuentionis doctrinam eſſe & iam repertam, & præcepto facilem & vſu fructuoſiſſimam.

25 *Cap.eod. Propria ſecundum vnumquodque determinatorum generum aſsignata methodo, facile ex hijs circa vnũquodq; proprijs decurſus propoſiti fiet. Ergo.*

Hoc ad ſpecialis inuentionis laudem celebrandam pertinet. Putat topicæ ſpecialis beneficio rem facilius explicari poſſe. Si propria (inquit) ſingulorum generum, quæ determinata ſunt, methodus inueniendi tradatur, facilior erit rerum diſputandarum tractatio.

26 *Cap.3.lib.6.top. Simpliciter igitur melius eſt per priora poſteriora tentare cognoſcere: nam magis ſcientificum tale eſt:*

Verum

Verum ad eos qui impotentes ſunt cognoſcere talia, neceſſarium forte per ea quæ illis cognita ſunt. Ergo.

Præceptum hoc in loco rei definiendæ tradit. Definitionem e prioribus & notioribus conſtare vult. At a quibus (inquit Ariſtoteles) priora ignorantur, ij poſteriora ad definitionem conſtituendam poſſunt aſſumere. Sed e prioribus informata definitio eſt quiddam Ariſtoteli *epiſtemonicoteron.*

Cap. eod. Niſi contingat idem notius, nobis notius eſſe & ſimpliciter. Ergo. 27

Permittit rei e poſterioribus definiendę rationem, ſed ex hypotheſi & quodāmodo. Eiuſmodi (inquit) e poſterioribus definitio vim rei definitæ ac naturam non interpretatur, niſi fortaſſe idem ſit notius nobis & omnino. Hic tibi mentio Notioris duplicem methodum peperit. At interim animaduerte fieri poſſe authore Ariſtotele vt idem nobis & natura ſit notius.

Cap. 3. lib. 1. Eth. Ipſum exactum non eſt in omnibus ſimili modo rationibus flagitandum: Sicut nec in ijs quæ per artem conficiuntur. Ergo. 28

De ratione tractationis per argumenta conformandæ, non autem de perpetuo rerum iam explicatarum ordine ethicæ philoſophiæ magiſter diſſerit.

Cap. 4. lib. 1. Eth. At enim ne lateat nos eas inter ſe rationes differre, quæ a principijs proficiſcuntur & ad principia. Recte enim Plato, &c. Deinde a notis ſemper eſt incipiendum hæc duobus mo- 29

dis talia ſunt, nota nobis, nota ſimpliciter. Ergo.

De notioris partione, quàm fallax & captioſa ſit, diſputatum eſt: quin & illud demonſtratum, quàm in ea nihil planè vitium ſit ad vnitatem methodi conuellendam. Quod igitur illi partitioni, id huic teſtimonio reſponſum volo.

30 *Cap. 2. lib. 2. etb. Cum autem præſens tractatio non contemplationis, figura & non exactaratio eſt efflagitanda. Ergo.*

Viceſimum octauum teſtimonium recurriſſe video. Non eſt (inquit Ariſt.) in omnibus tractandis peræque accurata ſubtilitas requirenda, ſed vnumquodq; explicandum, quemadmodum rei ſubiectæ feret natura. Loquitur itaque de ratione & qualitate argumentorum, quæ ſunt ad enodandam propoſitæ quæſtionis naturam adhibenda.

31 *Cap. 3. lib. 3. etb. Id quod vltimum eſt in reſolutione, primum eſſe conſtat in generatione. Ergo.*

Occurrit in hoc teſtimonio miſera Ariſtotelicę ſententiæ deprauatio. Non enim de rei inuentæ iudicatæque forma & collocatione agitur: ſed de conſultatione, atque etiam de actione quæ antegreſſa conſultatione ſuſcipitur. Analyſis eo in capite nihil aliud Ariſtoteli eſt quam propoſito fine inſtituta de rebus ad finem ſpectantibus deliberatio. Geneſis vero idem philoſopho eſt, quod rerum ad conſequendum hunc finem pertinentium molitio, effectio, adminiſtratio. Ac proinde quia ethica iſta analyſis primo finem proponit, deinde ea cogitat & perpendit, quæ ad finem referuntur: quoniam etiam in

geneſi

geneſi, id eſt, in ipſa rerum ſuſceptione primo res per analyſin cogitatas & deliberatas obimus, deinde eas obeundo finem conſequimur: idcireo ait ethicus ille id eſſe in geneſi primum, quod eſt in analyſi poſtremum. Tu cum interpretibus Ariſtoteleis, ſimul ac Ariſtotelem vocabulo Analyſeos aut geneſeos vtentem audires, in eam continuo opinionem diſceſſiſti fieri non poſſe quin iſta de duplici methodo diſſerantur. Ita es in explicando Ariſtotele præclaclarus interpres. Minime tu quidem in Philoſophi ſententiam accurate inquiris, ſed neſcio quo theorico impetu abreptus a ſenſu ad verba dilaberis: in quibus ſic hæres, ſemper ut eidem verbo eandem vim vbique ſubiectã eſſe putes. Equidem dum tuam & aliorum quorundam de analyſi ac geneſi theoriam contemplor, non poſſum in hominibus, tanta ac tam magna profitentibus, tantam cæcitatem iudicij ſatis demirari. Si quis illorum ſententiam de methodo ſciſcitetur, de analyſi & geneſi ſtatim perorabunt, ſed ita ſtulte & ridicule, ut nihil minus quam de methodo cogitaſſe videantur. Opponent locum iſtum Ariſtotelis: contendentque quod in analyſi poſtremum ſit, id eſſe in geneſi primum oportere. Docebunt per analyſin primum de principe fine cogitationẽ ac deliberationem ſuſcipi: tum fini proxima conquiri: atque ita deinceps reliqua ad finem obtinendum accommodata inueniri. In geneſi excellentem vim ineſſe clamabunt: quod analyſeos ſubſidio inuentum poſtremo eſt, id primo per geneſin contexi: deinde reliqua ſuis membris coagmentari. Non ſilebunt de exemplo domus, quod a Simplicio ad harum methodorum illuſtrationem adhibetur. Verum enimuero (excellentiſſimi interpretes) ſatius erudite Ariſtotelem & ſubtiliter explica-

tum arbitramini, si e Philosophi oratione sensus non precario emergat, sed vi exprimatur? si eundem pro arbitrio velut mollissimam ceram fingatis? si vestri ingenij commenta pro rei exponendæ elegantia obtrudatis? Intuemini paulo diligentius ethicæ disciplinæ locum illum. Hinc enim primum sese analyticæ, & compositoriæ methodi quasi sarmenta profuderunt: hinc paulo latius propagata in omnes fere disciplinas inuaserunt: hinc dispersa passim ac dissipata hominum animos admiratione occuparunt, sic ut lautioribus Aristoteleolis nescio quod numen in analysi & genesi latere videretur. Excitate igitur illam diuinam animi vestri sapientiam: & de methodo duplici vtrum Philosophetur Ethicus ille, diligenter expendite. Ego nomine analiseos non methodum a generalibus, sed fine suppositio hominis politici deliberationem: nomine geneseos non aliquam a specialissimis primo collocandis viam, sed rei deliberatæ executionem comprehendi & notari contendo. Quanquam in illa ipsa analyseos & geneseos Aristotelica explicatione non satis concinne res succedit. Nam moralis consultator ille & de certo rerum inueniendarum ordine videtur velle præceptum tradere, & in comparatione suæ analyseos & geneseos cũ mathematica aberrat vehementius. At vero in grauissima rerum ciuilium consultatione non est ille inuentionis ordo aliquando fere obseruatus, sed prout rei in deliberationem cadentis natura ferebat, & temporum ratio flagitabat, ita argumenta quærebantur: immo quæ primo animis occurrebant, ea quam vis nullo certo ordine succederent, tamen ad vsum seponebant. Satis id erat, si res inuentas & diu multumque deliberatas, cum efferendæ palam essent, legitimæ collocationis splendore

dore illustrare poterant. Comparatio autem, quæ ab Aristotele adhibetur, quiddam commentitium & alienum complectitur. Nam Aristotelica geometricæ dissimilium similis est & analysis analysi, & genesis genesi. Genesis & analysis geometrarum in syllogismo consumuntur: illa in conclusione a generalibus principijs deducenda: hæc in artificio conclusæ quæstionis retexendo ad principia explicanda & euoluenda. At multo secus est in Aristotelica analysi & genesi. Neutra ad syllogismum refertur. sed per analysin posito fine instituitur rerum delibaratio: eaque potest a rebus interdum communibus generatim inchoata transferri ad singulares. At vero ethicæ geneseos facultate res ipsas singulares manibus fere ac pedibus ad finē consequendum molimur & conficimus: nunquam e generalibus theorematis aliquam conclusiunculæ dignoiam meditamur. Sed ut Aristotelica Analyseos & geneseos explicatio in certo rerū cogitandarū ordine & ratione cōparationis adhibitæ minus fæliciter succesſerit: sic Aristotelicorū interpretum mirifica in analysi & genesi hallucinatio est. Vtranque methodi nomine ornatam dimittunt: vtranque cæteris methodis antecellere arbitrantur. Quod dum faciunt, quam sint in methodi disciplina hospites ac peregrini, aperte testantur Diplodophilus cap: 25. dialogi sui tres methodi analyticæ species a fidelissimis Aristotelis interpretibus accipisse se dicit. Quarum prima est superioris ad inferiora luminis expansio, siue inferioris ad suum superius reuocatio. secunda est totius integri in suas partes distinctio: tertia est finis in media resolutio. Atqui vero (Diplodophile) parum fideles Aristotelicæ philosophiæ interpretes extiterunt, a quibus ad eiusmodi uugas institutus es. Illa prima species

geneſin & analyſin geometrarum comprehendit: quarum altera generalium principiorum lumine concluſionem demonſtrat: altera inuerſo ordine factæ concluſionis demonſtrationem retexit. At deus bone quaſnam hic methodos ſomniatas video? texere ſyllogiſmum, tibi analitica methodus eſt. eundem ſic coutextum retexere, tibi etiam analytica methodus eſt. vbi intelligentia tua? vbi methodicæ diſciplinæ cognitio? methodus eſt rerum enuntiato aut ſyllogiſmo æſtimatarum forma ac diſpoſitio: Non eſt ſyllogiſmi analyſis aut geneſis. Deinde Totius in partes diſtinctio aut finis in media reſolutio, quid eſt quod analyticæ methodi nomine appellentur? Tua totius in partes reductio non eſt logicæ diſtributionis argumentum, ſed cuiuſuis artificioſe conſtructi operis reſolutio: quod & tua exempla declarant, & vtriuſque explicata in dialogo differentia: adeo vt quod in primæ ſpeciei ſecúdo mẽbro exponebas, idẽ in ſecúda methodi analyticæ ſpecie reponatur: ſed illic ſyllogiſmo ſpeciatim aſtrictú, hic ad omnia rationis opera cõmuniter applicatú. Sed iſtiuſmodi analyſis nõ eſt methodica rerú iudicatarú collocatio, ſed facti operis ad artis legẽ & præcepta accurata examinatio. Tertia ſpecie analyticę methodi viã artis inueniendæ cõplecteris: quæ (ut cap. 22. loqueris) ab vniuerſali finis deliberatione ad media proficiſcitur. Primo in approbanda de finibus conſultatione ab Ariſtotele diſceditur: deinde ſi perinde vt Simplicius in exemplo domus: ſic tu in mediorum inuentione certum ordinem teneri vis, noui neſcio quid comminiſceris. Simplicius vt analiticam methodum exemplo illuſtret, iubet domum contemplari. Finis (inquit) domus primo deliberatione exquiritur: deinde adhibita conſultatione tegumentum inuenitur: tum ſub cogitationis acumen parietes ſubeunt & ſucce-

dent:tandem diligenter inquirentibus accurrunt fun damenta:ad extremum de foſſione terræ cogitatur. Refer iſta ad architectum, ille Simplicij ſimplicem hanc & putiduiſculam diligentiam irridebit:afferetq; ſe,ſi quando agatur ædificij cogitatio totã ſimul ędificij materia formaq; abſoluti ideã mente cõprehendere. Verum ſit iſta mediorũ legitima & cõſentanea analyſis: at certe logicæ methodi naturam nulla ex parte attingit: preſertim cũ ſit tota inuentionis,non collocationis & iudicij. Neq; vero illud Ariſtotelicæ Philoſophiæ non repugnat, dicere artium inuentionem a generaliſſimo fine inchoatam per media ad infima deſcendere. Potes Theoripoie quæ a Mildapetto in hunc finem diſſeruntur vel probare ſi vera ſunt, vel refellere ſi vitioſa . De geneſi vero quid loquar?iſta methodo interdum rerum ſpecialium inductionẽ ad indagandas & efformandas diſciplinas complectimini: aliquando enuntiati & ſyllogiſmi præceptionem comprehenditis, nonnunquã methodicam a ſpecialiſſimis viam interpretamini. De inductione ſæpe diximus:argumentum eſt inuentionis,non rerum methodica dianoia. Quin & methodi differentiam ab enuntiato & ſyllogiſmo expoſuimus. Hic ſe illa Simplicii geneſis exemplo domus demonſtrata oſtendit. Vbi enim analyſis ſuſtinetur ac deſinit,ibi geneſis exorditur. Sic in ædificii exemplo illo, primo ad foſſionem terræ incumbitur: tum fundamenta iaciuntur ac locantur, deinde parietes cõſtruuntur & coagmentãtur:poſtremo tegumenta adornantur & diffunduntur. Quid hic aliud eſt,ſi a ſimilitudine ad rem ipſam diſceſſeris,quam rerum inuentarum per enuntiati & ſyllogiſmi præcepta diſpoſitio. Geneſis igitur materiam doctrinarum quã analyſis inueſtigatam ſuppeditat,ad opus conficiendum

dum arripit, id est definitionem cum definito, partes tum toto, dissentaneum cum dissentaneo, comparatum cum comparato ad rationem axiomatici iudicii disponit. Ac si quid dubii incertique sit, id syllogismi lumine illustrat & necessitate conuincit. Verum enuntiati & syllogismi a methodo singulare discrimen vel pueruli notissimum est: ita vt satis opinor iam pudeat Aristotelicæ disciplinæ interpretem in hisce errorum deliramentis, tamdiu constitisse. Nam quod ad rationem disponendi attinet a specialissimis exorsam, docuit in Admonitione Mildapettus esse eam rerum confusione præposteram, tantologiæ sophismate odiosam, perturbatione intelligentiæ & memoriæ molestissimam. Qua propter illa vestrum omnium (Diplodophile) de analysi & genesi disputatio a dialecticæ methodi præcepto abhorret: commentum est desidiosæ & torpescentis theoriæ. Non enim methodi est aut conclusionem e generalibus principiis demonstrare, aut factam demonstrationem retexere, aut integrum in partes distinguere, aut finem in media resoluere. Hæc non methodi præcepto, sed alterius regulæ subsidio fiunt. Non illa specialium inductionē attingit, nō in enuntiati & syllogismi possessiones irruit: nō specialia generalibus præponit: non vult denique sese nomine definitiuæ aut diuisiuæ appellari, cum nihil vel definiat aliquando vel distribuat. Sed rerum definitione iam explicatarum & diuisione in partes sapienter distinctarum immo omnium enuntiato aut syllogismo comprehensarum dispositionem & collocationem ad ordinem constituendum vendicat Verum huius testimonii (Theoripoie) satis iam elegantiam disceptauimus. pergamus ad alia.

Cap.

Cap.3.lib.6. Etb. At ex antea notis fit omnis ſcientia, nam alia per inductionem alia per ratiocinationem efficitur. &c. Ergo. 32

Non ſemel de cognitione & illuſtratione principiorũ per ſyllogiſmum & inductionem diſſernimus: cum nihil in hiſce a te prolatis teſtimoniis canteturſæpius & celebretur quam ſyllogiſmus & inductio.

Cap.1.lib.1:phr: Hæc autem inſit a natura eſt nobis via, vt a notioribus nobis magiſque manifeſtis ad notiora natura proficiſcamur. 33

Refellit prolepſin quandam Ariſtoteles: Quid ſi principia (inqui & aliquis) aliquid obſcuritatis complectantur? quid tum agendum eſt? reſpondet Ariſtoteles eiuſmodi principia eſſe familiariſſimi appoſitione exempli illuſtranda. Non itaque de duplici methodo locus eſt, ſed de principiorum illuſtratione & eorum obſcuritate per exempli lucem diſſipãda.

Cap.3.lib.3.Phy: Idem eſt interuallum, at ratio non vna, vt acclive & declive. Ergo 34

Cap.eod. Non vt ea tamen quæ rationis eiuſdem ſunt vt veſtimentum & tuncia, ſed ut via, qua a Thebis Athenæ, & ab Athenis Thebæ petuntur. &c. Ergo. 35

Ariſtoteles vt demõſtrare poſſit vnũ re eundẽ que in mouẽre & mobili motũ eſſe, in mouẽte actionem, in mobile paſſionem: triplicis ſimilitudinis lucem adhibet. Vt enim (inquit) idem eſt interuallum vnius

ad

ad duo, & duorũ ad vnum: vt idem locus acclíuis & decliuis: vt eadẽ via Thebis Athenas, quæ Athenis Thebas: ſic vnus idẽque motus eſt mouẽtis & mobilis, ſed in mouẽte atque agẽte erit actio: in mobili & patiente paſſio: vtrum iamſplendor ille tripartitæ ſimilitudinis ad motus theſin illuſtrandum adhibitus pro Ariſtotelico de binis methodis teſtimonio admittetur? Dices opinor inde colligi poſſe duplicẽ viã methodumq; aliam, progrediendi, regrediẽdi aliam. Primum quomodo quod ab Ariſtotele aperte non dicatur, id tamen Ariſtotelis iudicio approbari demonſtrabis? Deinde aliquid e diſputatione Ariſtotelica colligere, non eſt Ariſtotelem de bipartita methodo teſtantem ac pronuntiatem inducere. Poſtremo huius collectionis ſubtilitas inanis eſt & deridenda. Nam ſi deambulantem in hortulis ſuis Iauellum & ab aduerſis terminis ſpacia conficientem vidiſſes, equidem eodem iudicio ambulationẽ Iauelli tui oppoſitis extremis circumſcriptam pro duplicis methodi teſtimonio arripere potuiſſes.

36 *Cap. 7. lib. 8. phy. Initium enim vt in alijs, ſic in motu multipliciter dicitur, Ergo.*

Differitur a phyſico de latione, ſitne motionum prima, vt primam eſſe confirmet, triplicem *prioris* ſignificationem exponit. Quot ſunt modi *prioris* in alijs, tot modis aliquid (inquit) in motu prius dicitur. *prius* hoc in capite tripartito diſtinguitur. *prius* enim aliud alio dicitur aut conſequentia, aut tempore, aut eſſentia. Hiſce modis lationem cæteris motibus ptiorem eſſe docet. Vides in tripartita iſta *prioris* ſignificatione non Ariſtotelis teſtimonium de methodorum numero, ſed Ariſtotelis opinionem de lationis principatu contineri. Huc igitur redit

dit tua colligendi ſapientia. Sed hic non tam binarius quam methodorum ternarius colligendus eſt. Verum enim in *prioris* diſtributione, mirifica eſt Ariſtotelis inconſtantia. Nam in poſtprædicamentis quinque modos *prioris* facit: prius tempore: prius conſecutione non reciproca: prius ordine: prius honore: prius cauſa. Secundo capite 1. lib. poſt. prius duobus modis dicitur, natura & nobis. Septimo cap. 8. lib. phy. triplex ratio Prioris efficitur, conſequentia, tempore, eſſentia. Cap. 11. lib. 5. Metaphyſ. Prius ſefe in vndecim formas diſpertiuit. Prius loco, tempore, potentia, motu, ordine, notione idque dupliciter ratione vel ſenſu: quod adiunctum eſt rerum priorum: ſecundum naturam, ſubiecto, ortu, interitu. Quis non ineptæ partitionis inconſtantiam auerſetur? poteſtne eadem res in modos & quinque, & duos, & tres, & vndecim verè logicéque diſtribui? Quid? cum *prius* & *Simul* opponantur, *Simul* autem ab Ariſtotele bifariam ſolummodo diſtinguatur, nonne Ariſtoteles Ariſtotelicam *prioris* partitionem refellit? Nam oppoſitorum diſtributio, ſi rectè explicetur, eodem partium numero perficitur. Sed redundantiæ & confuſionis ratio multiplicem *prioris* diuiſionem conuincit ſophiſmatis longè grauioris. In prima illa *prioris* diſtinctione, quod cauſa prius eſt, id tempore, conſequentia, ordine, honore prius eſt. Et hoſce omnes modos in vnicam Rami a generalibus methodum conuenire diſputo. Nam cum generalia ſpecialium cauſas complectantur, generalia ſpecialibus ratione cauſæ & naturæ priora ſunt. Sic ſi rerum procreationem contemplere, intelliges temporis alicuius ſpatio generalia ante extitiſſe quàm ſpecialia: vt in homine generando prius eſt animatum quam animal,

animal, & animal quam homo. Quanquam in methodica rerum collocatione non vlla temporis ratio habetur, sed ordinis conuenientia pro naturæ in singulis claritate & notitia explicatur. Sic etiam iudicio consequentiæ non conuersæ priora singularibus vniuersalia existunt. vt si Socrates sit, homo est, & si homo sit, animal est. At hic nulla est consecutionis reciprocatio. Non enim posito animali homo, aut posito homine Socrates consequitur. Quid loquar de ordinis modo? certè vt modus consequentiæ non reciprocæ, sic ordinis modus ipsam methodi naturam attingit. Quid enim aliud methodus intuetur, quam vt omnia ordine eleganti constringantur? quod efficitur dum generalia specialibus præponuntur. Quinetiam si honoris modum attendas, quem Aristoteles ait esse alienissimum, quique potentiæ & dignitatis amplitudinem notat, non autem gradum notitiæ, & claritatis designat, intelliges & isto modo generale speciali prius esse. Quod Aristoteles capite 24. lib. 1. post. fatetur, cum ait vniuersale esse idcirco *timion* quia causam declarat & complectitur. Quamobrem quinquepartita prioris distributio & partibus redundans confusaque est, & methodi Aristotelicæ vnitatem non conuellit. Agedum in secunda prioris diuisione quid occurrit? profecto non dissimilis membrorum confusio: cum idem esse possit & nobis natura prius. sed quod de notioris partitione disputatũ est, id de ista intelligi volo. Tertia prioris distinctio a prima, nisi membrorũ paucitate, non differt. Neque verò e metaphysicis quarta illa non est partium confusione insignis. Nam loco priora sunt ordine priora: & motu quod prius est, id etiam tempore præcedit: & cuius ortus antecessit, id motu

in ac tempore prius extitit: immo & natura. Quod adiuncta affectio est rerum priorum, illud natura, ortu, tempore dicitur antecedere. Et quæ res *eata phusin* prior est, ea ratione prior est. Huius vero diuisionis partes, aliæ in vnicam Aristoteiis methodum perelegantur quadrant, aliæ a methodicæ quæstionis natura alienæ auersæque sunt. Quare prioris distributiones istæ vt sunt redundantiæ & confusionis elencho sophisticæ: sic etiam ad methodorum constituendam multitudinem nihil secum roboris & neruorum afferunt.

Cap.2.lib.1.de Cœlo. De ipsius vniuersi natura posterius considereremus oportet, nunc de partibus eius per speciem dicendum est. Ergo. 37

Perfectione vniuersi concluſa a philosopho & demonstrata, adhibetur transitio. vtrum (inquit) vniuersum sit finitum an infinitum deinceps videndum est: nunc de partibus vniuersi dicamus, hoc ducto principio. Ecquid ista duplicem methodum concludit transitio? Si methodum comprehendit, illam a generalibus vnicam comprehendit, quæ primo naturam totius generatim attingit, deinde partes singillatim persequitur.

Cap.2.lib.2.de anima. At enim cum ex obscuris illis quidem, magis autem manifestis fiat id notum quod est notius ratione. Ergo. 38

Dum de animæ accuratiore definitione cogitat *psychologus* eandem se inuenturum putat, si quæ sunt animi effecta & proprietates cognouerit. Nã quod ratione (inquit) notius est, id facilius intelligetur, si e rebus

e rebus ſenſu perceptis acceſſerit illuſtratio: præſertim cum omnis e ſenſibus cognitio oriatur. Hic itaque quomodo ad rei cognitionem & definitionem perueniendum ſit, non quo ordine res iam cognitæ & definitæ collocandæ ſunt diſſeritur.

39 *Cap.6.lib.3.de anima. Indiuiſibilium intellectio in hijs conſiſtit, circa quæ falſitas non eſt: at in quibus falſitas & veritas ineſt, in hijs compoſitio quædam eſt conceptuum intellectus. Ergo.*

Excitabo tibi ex infima fæce Dorbellicæ familiæ homunculum aliquem: Toletum dico: qui te in explicatione huius loci indormientem exuſcitet. Quid ergo Toletus? Ait intelligendi vim a philoſopho explicari, eamque diſtingui in ſimplicem & compoſitam. In textu iſto (inquit Totelus) Ariſtoteles diſtinguit duas has intellectus operationes: alteram ſimplicem qua res ipſas apprehendimus, quæ dicitur intellectio indiuiſibilium: alteram qua ipſas res conceptas componimus, quod fit dum mente propoſitionem facimus. Inter has operationes duplex ponitur diſcrimen: alterum eſt quod in prima operatione non eſt vlla falſitas, at in ſecunda verum eſt vel falſum: Alterum eſt quod prima operatio præcedit ſecundam. Annon Toleti interpretatio futilem iſtam de duplici methodo coniecturam coarguit? Quid aliud iſta ſententia complectitur Ariſtoteles quam mentis & intelligentiæ actionem in rebus primo cogitandis, ſimpliciterque abſque diſpoſitione conſiderandis, deinde ſimul coniungendis & diſponendis? Idem obſeruatur a Carpentario in illa ſua vniuerſæ naturæ deſcriptione. lib.4.cap.12.

40 *Cap:7.lib.3. de anima. Quapropter ipſa anima*

anima siue phantasmate nunquam intelligit. Ergo.

Locus est de instrumentis & subsidijs efformandæ in animo cognitionis & intelligentiæ. Efformatur cognitio ex contemplatione, & comparatione visorum, quæ e speciebus rerum sensu perceptarum, & ad phantasiam transmissarum excitantur.

Cap.1.lib.1.Metaphy. Fit autem ex memoria experientia, per experientiam ars & scientia hominibus efficitur. Ergo. 41

Aureola mediusfidius sentẽtia, & omni prædicatione dignissima: sed tamen ad ferendum de bipartita methodo testimonium detorta insolenter: vt ante iam sæpe disseruimus. Pudet toties inculcare, non esse de artis inueniendæ via controuersiam, sed de elegantissimi ordinis forma eidem inuentæ & æstimatæ imprimenda.

Cap.2.lib.1.Metaphy.Fere autem & difficilima hominibus cognitu sunt ea quæ maxime vniuersalia sunt, siquidem remotissima sunt a sensibus. Ergo. 42

Quod de difficultate metathysicę sapientiæ loquitur metaphysicus, id tu nullo iudicio ad duplicis methodi confirmationem trahis. Sed ista difficultas falso argumento iudicatur. Non enim quia vniuersalia a sensibus remotissima sunt, ideò in summa obscuritate versantur. Verum fac id ita esse. Annon de Aristotelica illustrandi principij ratione inaudisti? Si quid in re generali difficultatis sit, id inductione & clarissimis exemplis eleuandum & minuendum.

Cap.eod. Oportet autem quodam modo eius 43

ordinem in contrarium nobis inquisitionum quæ a principio fiebant constitui. Ergo.

Hanc sententiam, si metaphysici theologi sensum assecutus fuisses, nunquam pro testimonio attulisses. Nam Aristotelicæ methodi vnitatem vehementer confirmat. Differit Aristoteles de scientiarum ortu: easque ab admiratione, experientia, inductione natas esse putat. At vero (inquit Aristoteles) post quam disciplinarum instituta & theoremata experientiæ & accuratæ obseruationis inductio peperit, ordinem ipsarum primis inquisitionibus cõtrarium oportet constituere. O diuinum & excellens metaphysici sophi ingenium: O philosophum de logica ab vniuersalibus methodo verè & magnificè philosophantem. Ordo (inquit) disponendarum artium inuentioni ipsarum & obseruationi contrarius est. Artium inuentio a specialium obseruatione ad generalia ascendendo perficitur: at contra earum dispositio methodica ab vniuersalibus inchoata ad genera intermedia, ab intermedijs ad infima porrigitur. Quoties huius testimonij splendorem recordor, non modo tibi non irascor, sed gratiam habeo.

44 *Cap. 7. lib. 1. Metaphy. Quod si id generatione posterius, natura prius sit. Ergo.*

Disputatio de terra instituitur, quæ nonnullis ob partium magnitudinem e numero elementorum excludenda videbatur. Attamen ab Aristotele in elementis retinetur. cum sit (inquit) ortu posterior, & natura prior, id est, ex Alexandri interpretatione perfectior

perfectior & excellentior. Hic tu propter vocabula prioris & posterioris vsurpata duplicem methodum contra Metaphysici doctoris sententiam cõminiscris.

Cap.7.lib.1. Metaphy. Omnis disciplina per præcognita aut omnia aut aliqua est, aut per demonstrationem, aut per definitiones, similiter, & quæ per inductionem. Ergo. 45

De scientia quæ ex antegressa rerum præceptarum cognitione deducitur, de demonstratione, definitione, inductione supra disputatum est.

Cap.eod. Dubitauerit autem quispiam sicuti de quibusdam syllabis quidam enim syllabam (sma) ex s & m & a aiunt esse. quidam sonum esse dicunt & nullum ex notis. Ergo. 46

De numero testimoniorum explẽdo mirum in modum laborabas cum pro testimonio istam periodum arriperes: quæ certè nihil aliud est quam similitudo ad difficultatem cognoscendi elementa rerum & principia amplificandam & exornandam allata. Alij (inquit) ex his, alij ex illis illa constare dicunt: quemadmodum de syllabis quibusdam dubitatur, e quibus constent. Nam illam syllabam Sma alij ex s m & a constitutam esse affirmant: alij alium quendam illius syllabæ sonum esse volunt, nec vllum ex ijs sonis, qui noti sunt & vulgares. Quomodo ex ista similitudine duo methodorum genera concluduntur.

Cap.eod. Quorum sensus est, quomodo ea 47

quis noſcet ſenſum non habens.

Origo ſcientiarum ex illa per ſenſum obſeruatione & inductione ſæpe obiecta eſt & refutata ſæpe.

48 *Cap. 3. lib. 2. Metaphy. Inſtitutum eſſe oportet quomodo ſingula admittenda ſunt, quoniam abſurdum eſt ſcientiam & modum ſcientiæ ſimul quærere. Ergo.*

Iſta verborum Metaphyſica comprehenſione cum duo methodi genera contineri dixeris, exorietur ſtatim tuus e Lycæo Thomas ille, qui te deſipere dicet. Neque enim hic aliud demonſtrari, quam auditoris ad primam philoſophiam idonei inſtitutionem quandam liberalem. Debet (vt ait in huius loci explicatione Aquinas) metaphyſicæ ſapientiæ auditor ante logicam didiciſſe: Logicæ autem diſciplinæ artificio ſingulis in rebus ſecundum earum modum & naturæ conditionem vti. Nam conſentaneum non eſſet tum primum dialecticæ ſcientiæ præcepta guſtare, cum præceptorum modus & vſus ad conformandam metaphyſicæ *acribologiam* adhibendus ſit.

49 *Cap. 11. lib. 5. Metaphy. Priora & poſteriora ſunt aut ſimpliciter aut ad aliquid. Ergo.*

De captioſa & inconſtanti prioris partitione ſupra diximus: vnde refutatio huius teſtimonii repetatur, quo non binæ methodorum ſpecies, ſed vndecim concluduntur:

50 *Cap. 1. lib. Metaphy: Cum vero difficultas duobus fiat modis, fortaſſe cauſa eius non*

non rebus ſed nobis ipſis ineſt. Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei habent, ita intellectus animæ noſtræ ad ea quæ manifeſtiſſima ſunt omnium. Ergo.

Veritatis cognoſcendæ & intelligendæ difficultas argumento duplici a Metaphyſico declaratur. Nam difficultatis cauſa aut e reb' oritur, aut in nobis ſita eſt. Quanquã (inquit) diligenter attendẽtibus cauſa illa qua fit vt philoſophiæ ac veritatis cognitionem ægre admodum tardeque conſequamur, videbitur non tam a re quam ab ipſo homine profiſciſci: at quid ita? quia hominũ mentibus velut offuſa caligo eſt, adeo vt tanquam veſpertiliones in clariſſima rerum luce cæcutiant. Vides igitur differere metaphyſicum de philoſophiæ cognoſcendæ difficultate, nõ de ratione aliqua philoſophiæ iam cognitæ atque perceptæ ad ordinem reuocandæ. Res (inquit) ipſæ ſua natura perſpicuæ ſatis illuſtreſque ſunt: at verò hominum mentes planè cæcæ. Quid hinc Theoripoie concludes? an ideirco methodum in duas ſpecies diſtitiſſe? Atqui vero ex illis verbis aliud quiddam ab Ariſtotele concluditur. Hominum mentes in clariſſima rerum luce cœcutiunt: itaque (inquit Ariſtoteles) non eſt mirum ſi rerum in philoſophia traditarum cognitio difficilis vnicuique & recondita videatur. Sed hominum cœcitati quæ obſecro methodus aptiſſima eſt? Vtrum illa a ſpecialibus quæ frequentiſſimæ tautologiæ ſophiſmate & incredibili rerum confuſione mentis cœcitatem conduplicat? an vero illa a generalibus, quæ lucem accuratiſſimi ordinis ad diſſipandam animi caliginem affert?

51 *Cap.2. lib.2. Metaph. Item ipſum ſcire perimunt qui ita dicunt: non enim poſſibile eſt ſcire, antequam ad indiuidua deueniatur, & ipſum cognoſcere non eſt. Ergo.*

Hoc ad refellendam infinitatem pertinet. Qui (inquit Ariſtoteles) infinitatem eſſe dicunt, ij rerum ſcientiam tollunt ac perimunt. Nam cum e rerum indiuiduarum & ſingularium contemplatione exiſtat ſcientia: res autem ſingulares infinitæ ſint: quomodo ad rerum cognitionem peruenietur. Vbi iam in iſta ſententia Ariſtotelica duarum methodorum demonſtratio? Reſtat vltimus ille & inſignis locus (ſic enim appellas) qui ab Ariſtotele ad vnitatem methodi iugulandam ex profeſſo ſcriptus videatur. Quinam ille tam diuinus & ſingularis locus quid excellentis teſtimonij complectitur? ſi de bipartita methodo teſtatur, profecto & me ad patrocinium Ariſtotelicæ methodi non ſatis prudenter acceſſiſſe, & te e duobus & quinquaginta teſtimonijs vnum attuliſſe legitimum confitebor. Age igitur, excutiatur locus ille.

52 *Cap.1. lib.2. de part. Animal. In omni cõtemplandi genere, omnique tum nobiliori, tum ignobiliori docendi via & ratione, duos eſſe habitus conſtat, quorum alterum ſcientiam rei, alterum quaſi peritiam quandam appellamus. Ergo.*

Hoccine eſt illud tam illuſtre & ſingulare teſtimonium? Hoccine illud palmarium & quaſi triumphale bipartitæ methodi elogium? excita quæſo intelligentium

ligentiam tuam, & quid ab Aristotele dicatur perdiligenter expende. Ait duos esse docendi habitus, vnum scientiæ, alterum cuiusdam peritiæ. Quid tum? ideone duo esse genera methodicæ collocationis affirmat? O te præclarum Aristotelicæ disciplinæ interpretem, qui sic interpreteris: O te syllogistici iudicij egregium artificem qui nobis tam scitæ consequentiæ vim opponas. Non est, Diplodophile, non est duarum methodorum informata demonstratio: sed instituta admonitio de re cum enuntiato & syllogismo disputanda ad cognitionem efformandam, tum ex præcepto methodi disponenda ad ordinem inducendum. Docendi ratio (inquit Aristoteles) duobus perficitur. Nam aut rei naturam sic explicamus, eam vt alijs notam & expeditis difficultatibus exploratam illustremque faciamus: aut rem sic explicatam & luculentius enodatam ordinem quodam disponimus. prior illa tractationis species ab Aristotele rei scientia appellatur: quia nempe explicatio per enuntiata & dianoia syllogismi sunt pariendæ scientiæ instrumenta. Res enim tum demum vere sciri cognoscique dicitur cum sit enuntiati aut syllogismi legibus iudicata. At verò posterior hæc rei tractandæ ratio Aristoteli peritia quædam est ordinis in docendo conformandi, qui collocandis primo loco generalibus, intermedio subalternis, postremò specialissimis efficitur. Vbi iam excellentissimi testimonij vis & amplitudo? vbi iam duplicis methodi ex isto testimonio inferendæ necessitas? Aristoteles ait duos esse docendi habitus, quorum alter positus est in rei natura per enuntiatum & syllogismum explicanda: alter in rebus explicatis ordine & methodo digerendis. Conclude iam pro Aristotele Theoripoie: Ergo du-

plex est secundum Aristotelem artis ordinandæ methodus. Nonne vides conferre te in nomen Aristotelis insulsissimæ conclusionis labem, & deridendum elenchum? Nonne sentis speciem & colorem huius tam diuini testimonij euanuisse Iam & ad nihilum recidisse? Immo nonne illo in capite vnde testimonium istud depromsisti, Rameæ methodi dignitatem ornatam ab Aristotele & celebratam animaduertis? Illic reiecta a specialibus methodo propter tautologiæ sophisma, vnica a generalibus deducta methodus approbatur & exornatur.

Habes tua iam excussa a me & disceptata testimonia: in quibus certè non duplicis methodi duo & quinquaginta elogia, sed tuæ insciticæ duo & quinquaginta argumenta complexus es. Non possum mediusfidius, dum tuam in conuerrendis vndique & consarcinandis testimonijs tam inconsideratam diligentiam recordor, non de illata eruditis hominibus iniuria conqueri. Si quid enim illis ingenij & iudicij, si quid doctrinæ & literarum concedendum putasses: si non stupore quodam animi & cæcitate oppressos iudicassos: nunquam illorum tam sanis præsertim & expolitis iudicijs pro graui & religioso ex Aristotele testimonio totidem sententiarum mirificas leuitates, totidem locorum insignes deprauationes, totidem pro duplici methodo plumbeas & inertes collectiunculas obtrusisses. Ego certe misericordia commotus, quam iamdiu vexatus a te indignissimè & contumeliosissimè laceratus nullam tibi debeo, tamen dolere plurimum angique soleo, eo vecordiæ philosophum Cantabrigiensem prolapsum esse vt hominum eruditissimorum oculis nescio quam deformitatem subijciat infantissimæ & despicatissimæ theoriæ. Quid de te huius con-

uoueriæ

trouersiæ indices statuent? quid philosophi transmarini loquentur? si in responsionem tuam inciderint, ea te effudisse dicent, quæ mehercule si quemcunque rabulam arripuisses ex aliquo circulo, eadem Mildapetto duplicem methodum refellenti respondisset. Nam si spurcissimi maledicti contumeliam afferret, & Aristotelici nominis dignitatem fraudulenter opponeret, idem ad demonstrationem bipartitę methodi videatur respondisse, quod Diplodophilus Theoripoius. Ecquid igitur mirari potes, si tanta sit hominum querela frontis tuæ? cum responsionem tam fatuam, tam sine sale ac sapore, & tamen toto conuitiorum genere tam furibundam emiseris. At vero ne ad persimilem responsionis elegantiam deinceps publicandam accedere cogatis, Mildapettum quasi egregius quidam Olympionices ad pugnam in scholis conserendam lacessis: aisque te illi, si iterum scripto prouocauerit, non responsurum. Cantabit (inquis) vacuus coram latrone viator. Equidem præclarè tibi sapienterque caues. Sed hic non tam mihi molestum est appellari me abs te vacuum e Poeta viatorem, quam iucundum, quod tibi ipsi pro tua sapientia latronis nomen ascripseris. Tu enim, perinde ac ille quocum te non inscitè confers, egens admodum & inops ab instrumento pulcherrimæ disciplinæ P. Ramum tanquam insidijs excipis, tamen non tam ad prædam vt inde lacunas explere possis curtæ & emendicatæ suppellectilis, quam ad cædem, vt nempe Rameę doctrinæ institutio tuis oppressa theorijs & vulnerata concidat. Sed quid est obsecro, quod consignatum scriptis certamen detrectes? Quod scripto non potes, id te voce putas posse conficere? Non te iam nescio quæ recens verecundia, cui vtinam esses a

princi-

principio obſecutus, quominus vel quarto typis innoteſcas, deterret. Quid ergo? an rerum veritas melius in ſcholis linguæ beneficio illuſtratur, quam meditatæ ſcriptionis iudicio diſceptatur? Illic fortaſſe tuo iure regnum quoddam vendicas: dum nimirum obiectum problema clamore & pedis ſuploſione inſequeris: dum rixando & ſtomachando rem conficis: dum elencho Dorbellicæ ſubtilitatis aduerſarium eludis. Sed vide quantum in diſquiſitione veritatis vox a ſcripto ſuperetur. Illa, poſtquã incaluit vtrinque diſputatio, ſubita nonnunquam eſt & tumultuaria: hoc elaboratum ſemper induſtria, & multa commentatione velut decoctum: adeo vt illa perſæpe ſit fortuitę & præcipitatæ opinionis interpres: hoc perpetuo maturi & exquiſiti iudicij teſtimonium. Quid quod illi quidem omnes, quibus de inſtituta controuerſia anquirere licebit & cognoſcere, accuratiorem ſententiam laturi ſint, ſi rem vniuerſam quaſi ſubiectam oculis intuentur, quam ſi eandem auribus ſolum percipiant? Nihil enim intelligentiam & cogitationem legentis effugit. Multa verò aut non ſatis aliquando rectè intelliguntur cum audita ſunt, aut intellecta animis elabuntur. Quinquam non inficior diſputationis illius, quæ voce & lingua tractatur, permagnũ vſum eſſe non modo ad iudicium veritatis, ſi quis eam prudenter logicéque perſequatur, ſed etiam ad acuendam vim ingenij & incitandam celeritatem eloquendi. Verumenimuero dum te a typis ad ſcholas prouocantem intueor, equidem cauſæ mihi occurrunt duæ, quæ te iſtam ad prouocationem impulerunt: quarum altera a teipſo eſt, altera a typographo. Vides credo iam quam ſit oratio tua & loquendi formulis inconcinna, & conglobatione ſententiarum

tentiarum nugatoria. Illæ eroſæ vetuſtate, aut ex agro paſtoritiæ: hæ ſic cohærent, vt non orationem e ſententijs, ſed quaſi aceruum e minutis & diffluentibus granulis conſtruxiſſe videare. Vides etiam ingenij tui theorias mendicitate ſua & egeſtate concidiſſe: adeo vt te & pudor quidam, & hominum voces, quæ de inſcitia tua exilitateq; percrebuerunt, aſcribendo avocent. Ad typographum quod attinet, impetrare ab eo non potes, qui equam ferè vt de ſuis ad impenſas excudendi conferat: ita facilè opuſcula tua licitatorem inuitant: ita raptim diuenduntur ac diſtrahuntur. Sed conſolare ipſe te Diplodophile, & typographi humanitatem implora: dubitum non eſt quin tibi tam honeſta ac iuſta petenti conceſſurus ſit. Atque vt eo maiore alacritate typographum obteſtere & compelles, nouum tibi campum præbebo, in quo tua excurrat latiſſimè & exulret theoria. Primum quia de methodo cõtrouerſia eſt, cum vim naturamque methodi ſummatim interpretatione complectar, tum illius vſum demonſtrabo. Deinde nonnulla e cæteris dialecticæ partibus exagitanda mihi & diſceptanda proponam. Poſtremo e Phyſicis & ethicis quædam aſſumere, eademque tibi tractata meo more ac diſputata ad litem dirimendam reponere decreui. Iſta cum fecero, nolite (ornatiſſimi Cantabrigienſes) inſtitutum meum aut temeritatis coarguere, aut condemnare vanitatis. Etenim rationem conſilij mei, cum æquiſſimis cauſis iuſtiſſimiſque nitatur, non dubito quin vobis hominibus illis quidem humanitatis & omnium doctrinarum laude clariſſimis probaturus ſim. Nam in eo quantam vim ineſſe putatis ad exprimendam vel a tradiſſimo quouis leniſſimóque apologiam, quod Mildappetto ne minimam quidem

ingenij

ingenij doctrinæque partem concedat? Quid enim illa sonant?

Mildapertus in omni philosophicæ disciplina hospes est.
Nullis adhuc artibus differendi laudem promeretur.
Nullis artibus Scribendi vituperium effugit.
Alienus ab Aristotele & omni legitimo philosophandi genere.
Mildapettus habet facultatem famelicam in dialecticis.
Fit mendicus dialecticus.
Est peregrinus in dialecticis.
Artem dialecticam prorsus ignorat.
Nihil habet artis, ne spem quidem.
Verbalista imperitus.
Ineptus & nihil concludens.
Homo voce tantum valenti & viribus.
Laborat penuria cerebri.
Est in eo inopia cerebri.
Est in eo loquax insciti a.
Est in eo illiterata audacia.
Habet verborum copiam sine Pondere.

Grauis mehercule criminatio eaque si vera sit, ad gloriam *Regii collegii* cuius alumnus sum, parum honorifica. Quomodo enim id Regali amplissimæque familiæ non insigne ad summam labem potest accidere, si qualem Mildapettum fingis, talem per hosce octo fere annos aluerit & educauerit? Ego certe tuæ familiæ ex animo vereque gratulor, quod & præstantissimis ingeniis omnique genere disciplinarum abundet, & neminem aliquando ferat, qui non eum locum, quem adeptus est, vel reipsa ad magnam laudem præclare, vel certe ad aliquam speciem honeste, tueri possit. Poteras idem nostro gymnasio dedisse sed te nescio quis ardor cepit & quas præcipitantem impulit, fecitque ut quidlibet ad Mildapetti infamiam quantumvis atrocitate horrendum conquireres palamque euulgares. facio itaque libenter

ter vt ad crimen obiectæ tam singularis inscitiæ tantæque ignominiæ diluendum aliquid e cæteris quibus vti soleo commentationibus depromam: non quod meis delecter, sed quod in depulsione calumniæ, tentare porro facultatem ingenii tui & theoriam experiri cupiam. Quid quod nouæ commentationis accessio prope necessaria sit? Nam refutatio conuitij, & testimonii disceptatio si in hominum manus inciderint, nihil secum magni afferre, nihil typis dignum complecti videbuntur. Me etiam & illud mouet vt scilicet in quibus errem, in iis refelli a te & erudiri possim. Age igitur rationem iustituti negotii aggrediamur: ac primo explicationem methodicæ quæstionis meditemur. Tu (diplodophile) vacillantem habes & nutantem de methodi definitione sententiam: ideoque in caput dialogi tui decimum octauum tris ternas methodi definitiones aggregabas. Nos illius naturam vnica tantum eaque certa & luculenta definitione subtiliter comprehensam in dialecticis Rami habemus.

Methodus (inquit Ramus) est dianoia variorum axiomatum homogenorum pro naturæ suæ claritate præpositorum, vnde omnium inter se conuenientia iudicatur, memoriaque comprehenditur.

Viden quam ista eleganter methodi vim complectatur definitio? Tribus illa quidem peraccurate comprehenditur: Methodi genere, deinde forma, quæ est subiectis & subiectorum adiunctis illustrata: tum fine. De his singillatim, sed tamen quam fieri potest breuiter differemus. Methodi genus *Dianoia est*. Nam quæ in dianoia communis essentia est ad plures species æqualitur diffusa, illius pars vna methodus est. Essentiam in dianoia communem appello, illam axiomatum

omatum ex axiomatis deductionem mentis discursu informatam. Vt rem velut a capite arcessamus ac paulo altius repetamus: mentis humanæ. (Theoripoie) in rebus disponẽdis iudicandisq; actiones prorerum natura ac conditione distinctæ sunt. Res vniuersæ, quæ aciem iudicii subeunt, aut perspicuæ natura illustresque sunt, aut dubiæ & confusæ. Quæ per se claræ sunt & quandam natiuam perspicuitatẽ complectuntur, illæ accersito aliunde lumine, quo illustrentur, opus non habent. Talibus rebus in vnam sententiam comprehensis, propterea quod ipsarum ex sese oriratur notitia, non autem ab aliis antecedentibus deriuetur, simplici quadam æstimatione contenti statim assentimur, nihil de earum veritate aut falsitate dubitantes. At vero quarum rerum natura obscurior paulo est magisque inuersa, hæ quam in se non habent, ab aliis lucem accipiunt, cuiʼvi ipsarũ obscuritas euanescat & confusio dissipetur? Hiis igitur ut quandam perspicuitatẽ claritatẽq; e rerum aliarũ splendore deductam quasi imprimamꝰ nõ ad eas simplicem animi æstimationem afferimus, sed easdem mentis quodã discursu cõponendo & cõparãdo alias ex aliis disceptamus. Quapropter mens pro dispari rerũ natura in quibusdã clara per se & illustri, in nonnullis dubia & incerta, duplici munere in iudicando fungitur. Nam aut eas simplici æstimatione absque maiore rationis agitatione expendit iisque continuo assentitur, aut eas adhibito in aliis cum aliis prudenter componendis discursu (hunc enim simplici rerum æstimationi opponinus) tandẽ diiudicat. Illa mentis actio *noetica* appellatur, & iudicio veritatis falsitatisque deseruit: hæc autem *dianoetica*. Sed actio *dienoetica* non est vniusmodi. Nam illo rationis discursu, quo aliacũ aliis ad aliquid inde

deducen-

deducendum componuntur, vel quæſtionem cum argumento diſponimus ad colligendam conſequentiam, vel axiomata varia pro naturæ claritate inter ſe annectimus ad ipſorum ordinem deducendum & explicandum. In priore actione ſubtilitatem ſillogiſmi, in poſteriore methodi dignitatem meditamur. Vides iam (Diplodophile) cur P. Ramo methodus appelletur *dianoia*, quia nempe comparatione claritatis & notitiæ adhibita enuntiata ex enuntiatis deducit & diſceptat. Vt enim in ſyllogyſmo ex antecedente in propoſitione & aſſumptione concluſio colligitur ac iudicatur: ſic in methodo cum generaliſſimis ſubalterna, cum ſubalternis ſpecialiſſima componendo ordinem vniuerſorum deducimus & cõſtituimus. Dianoia igitur methodi genus eſto. *forma* methodicæ definitionis quænam eſt? *forma* ſita eſt in ratione quadam præponendi axiomata pro naturæ inſingulis claritate. Hic duo occurrũt. (Theoripoie,) quorum vtrumque velim a te diligentius animaduerti. Continent enim methodi principem partem & ſingularem a cæteris omnibus differentiam. Alterum eſt, ut axiomata methodo diſponenda ſint nota & illuſtria: alterum vero ut eorum collocatio ex illa notitia & claritate dirigatur. Cum igitur de rebus ad legem methodi digerendis illud dicatur, oportere eas eſſe notas, id eſt enuntiati vel ſyllogiſmi præcepto iudicatas (hiis enim velut inſtrumentis rei natura illuſtratur, ex qua illuſtratione oritur ſcientia) quid aliud dicitur, quam illud, methodum non eſſe argumenti aut artis inueniendæ viam, non eſſe enuntiati conſtituendi rationem, non quæſtionis concludendæ & demonſtrandæ legem, non (inquam) vllius rei præceptionem eſſe aut definiendæ, aut in membra diuidendæ, aut reſoluendæ in media, aut retextendæ in terminos: ſed eſſe regulam ordine quodam res vni-

uersas disponendi, quę per alia præcepta excogitatæ iam inuentæque sunt, per alia precepta definitæ ac distributæ, quæ non modo enuntiati, sed etiam si ita necesse sit syllogismi luce demonstratæ cognitæque sunt. Illud ergo teneatur rem ante inueniendam esse & axiomatico aut syllogistico iudicio cognoscendã atque explorandam, quam methodici theorematis ductu ordine collocandam. Neque hoc est quoddam inane postulatum, nulla ratione nixum, sed necessitatis cuiusdam & naturæ lex. Quomodo enim vlla potest institui dispositio, nisi præcesserit rerum desponendarum inuentio? rerum inuentarum primam collocationem necesse est axiomate perfici & contineri. Nam quod simplicissimum est, id prius eo & antiquius esse dicimus, quod e simplicissimis compositum est. At dispositio vnius argumenti cum vno, vnde enuntiatum constat, est omniũ dispositionum simplicissima: cæterę vero dispositiones mixtæ & compositę. sic in syllogismo tercendo duplicis dispositionis vsus cernitur. Nam vt argumenti cum argumento nuda & simplex collocatio efficiatur, id totum enuntiati est: vt vero hoc illoue modo antecedat argumentum aut sequatur, id syllogismo debetur. De quæstione syllogismo concludendo si quis percontetur sitne syllogismo prior, opinor confitebitur: præsertim cum re incerta & dubia illustratio rei dubiæ posterior sit. At quæstio ex ambiguitate & obscuritate enuntiati nascitur: unde fit vt axioma syllogismum antecedat. Quin & in methodo multiplicis collocationis artificium vsu quodam exprimitur. Vtrum porro dicemus materia materiæ artificiosam formationem priorem esse? Si quis dixerit, dicat etiam bona cum venia fabricam Aristotelici Lycæi ante contimatam perfectamque fuisse, quam

quam architectus lapides, cœmentum, ligna conquisisset & ad dolandum comparasset. Quid aliud est methodus quam materiæ enuntiato aut syllogismo æstimatæ ad elegantiam ordinis statuendam perartificiosa quędam formatio? Et quæ ratio est cur rerum ignotarum ordo quæreretur? immo si res non explicatæ adhuc sed tibi prorsus incognitæ aguntur, quo tandē velut perpendiculo, perpetuæ collocationis ratio dirigetur? sublata rerum disponendarum luce & notitia, nulla quasi Cynosura est, qua multiplicis dispositionis cursus ille sapienter gubernetur. Qui verò antecedentibus iudicijs in enuntiato & syllogismo præteritis ad hoc postremum methodicæ constructionis decurrit, idem mihi meditari videtur quod ille, qui per nulla intermedia spatia a calce ad carceres in curriculo conficiendo perucnire vult. Est hæc omnium, qui magnum a literis nomen vnquam acceperunt, rata & constituta hypothesis, vt primo res cogitetur, deinde certa dispositionis forma iudicetur, sed e partibus iudicij, cum tripartitum sit, prima est argumenti cum argumento ad enuntiatum formandum dispositio: secunda est tertij argumenti ad struendum syllogismum collocatio: tertia est materiæ ex antecedentibus logici artificij partibus repetitæ & in vnum comportatæ methodica exædificatio: adeo vt qui non a primis per intermedia ad extremum contendat, is stultitiæ a summis philosophis condemnetur. Vbi iam est qui neget materiam methodo propositam ante notam esse debere & intelligenter explicatam, quam ordine aliquo deuinciatur? Vides ex hac insuper disputatione, Diplodophile, in quarum rerū collocatione versetur methodus. Equidem enuntiata duntaxat sunt, in quibus ad certum ordi-

nem compellendis methodus lucem oſtendit ſuam. Enuntiata (inquam) aut ſolitaria & libera a ſyllogiſmo, aut in ſyllogiſmum illigata. Sed nota iſta & clara enuntiata, quæ methodicæ diſpoſitionis ſubiecta ſunt, duobus a Ramo adiunctis exornantur. Nam eſſe debent varia & homogenea. Priore adiunctio non tam diſcrepantiam in axiomatis, quæ nullo modo abeſſe poteſt, quàm numeri rationem attingit. Vt enim nulla ordinis ſtructura in illis eſt, quæ vnam eandemque ſententiam complectuntur: ſic de vnius aut pauciſſimorum ordine neutiquam laboratur. Poſteriore adiunctio axiomatum diſponendorum cognatio comprehenditur. Atque hæc in artium præceptis velut imperatoria lege *cathauta* requiritur. Quæ enim in ſcientiarum diſciplinis traduntur, ea eſſe debent non vt in conſitionibus fieri interdum ſolet diuerſarum arborum ſarmenta, ſed quaſi ex eadem ſtirpe efflorescentes ſurculi. *eteronegea* in picturæ lineamentis damnata eſt: poteſtne igitur in eleganiſſimæ artis deſcriptione probari? Nulla vnquam a Lycurgo ſancita lex eſt, a qua lex *cathauta* potuit exercendæ iuſtitiæ religione & dignitate ſuperari. Illa rerum vndiquaque corrogandarum & inferciendarum licentiam coercet: illa præſtituendis & regundis artium finibus præſidet: illa rerum alienarum ſublata confuſione perſpicuitatis & breuitatis magiſtra eſt. Ac proinde non iniuria artificioſæ doctrinæ theoremata, quæ methodo collocãda ſunt, arcta quadam cognatione oportet contineri: quomodo enim alioqui in generaliſſimis, ſubalternis, ſpecialiſſimis locorum gradus eleganter & apte diſtinguerentur? Cum in ipſo methodicæ diſpoſitionis negotio proprijs aliena interponis & admiſces, ſi e germanis membris vnum Heterogeneo recte præponatur,

ponatur, alterum certè perinscite consequitur. Si hoc suo loco & iusto ordine consequatur, illud perperam & nullo iudicio antecedit. Quod enim e diuerso corpore accersitum aliquo vno e duobus membris arctissimæ cognationis vinculo colligatis prius posteriusue est, fieri non potest quin idem prius alterò aut posterius sit. In artium igitur documentis ad methodi normam gradatim distinguandis lex *cathauto* dominetur. Quin & in cæteris commentationibus omnia ad homogeniam quandam reuocentur, ne accumulandis & implicandis heterogeneis, lumen elaborati ordinis obscuretur. Quanquam hîc non nimis seuera methodus est: non illius absolutæ cognationis rationem efflagitat: sed rebus vtcunque homogeneis contenta est. Quæ igitur eiusdem quæstionis explicationem continent & ad eundem finem referuntur, ea quodamodo homogenea iudicantur. Sic quæ in Milonioña Cicero perorauit, cum eiusdem rei tractatione & fine conueniant, in homogeneis censentur. Sed ex ijs quæ in methodicæ definitionis forma occurrebant, prius illud satis iam explicatum est, oportere scilicet enuntiata, quæ methodo componuntur, nota esse & illustria. Sequitur iam posterius, in quo ratio quædam methodicæ collocationis dirigendæ spectatur. Methodus axiomata nota & manifesta disponit. Sed quo tandem modo & ordine? quis locus vniuscuiusque? cuius rei ductu graduum distinctio constituetur? Hîc excita intelligentiam tuam (Diplodophile) & quid dicatur diligenter attende. Perspicies methodico artifici non magis præcepti lucem deesse ad enuntiata quælibet ordine excellenti disponenda, quam prudenti conuiuiorum moderatori ad conuiuas variæ conditionis & dissimilis for-

tunæ pro cuiusque dignitate collocandos. Finge enim senatores, equites, plebeios vna confluxisse. Moderator iste quid aget? senatores ad primas sedes deducet, quia sunt dignitate principes: equites transmittet ad intermedias, quia sunt senatoribus dignitate proximi: plebeios ad postremas relegabit, quia genere conditionis postremi sunt. Quod verò huic moderatori in collocandis conuiuis notata discrepantia conditionis & dignitatis est: idem erit methodicæ collocationis magistrio ad res omnes suis sedibus aptissime digerendas obseruata in singulis notitiæ & claritatis differentia. E variis igitur usque notis enuntiatis, quod clarissimum notissimumque est, id primo loco disponatur: quod lumine notitiæ proximum est, id secundo collocetur: quod notionis claritate tertium est, id tertio statuatur: sic reliquis deinceps consequentibus notiora semper minus notis præponantur: & quod obscurissimum est ad extremum locum detrudatur. Quare animaduersa in enuntiatis notitiæ & claritatis differentia est quasi ordinis constituendi magistra quæ vnicuique enuntiato suam & propriam sedem designet atque attribuat. Si a methodicæ disciplinæ magistro percontere, cur in descriptione grammaticæ literam syllabæ, syllabam voci, vocem orationi præposuerit. respondebit a litera syllabam, a syllaba vocem, a voce orationem splendore notitiæ superari. Verumenimvero cum claritatis & notitiæ differentia nobis velut facem aliquam præferat ad sedem cuiuslibet enuntiati explorandam & distinguendam: quomodo tandem differentiam istam deprehendemus & assequemur? quomodo e duabus enuntiationibus vtra sit notior, aut e pluribus quæ notissima sit intelligemus? Huius rei disceptatio & elogi-

cæ

ea inuentionis argumentis repetenda est & eisdem dirimenda. Argumenta artificialia sunt aut inartificialia. De luce artificialium, si quis eandem cum tenuissimo inartificialium lumine comparatam negaret excellentem esse, pluribus disserendum putarem. Sed cum neminem fere lateat, quæ vis insit in argumentis inartificialibus rei explicandæ atque illustrandæ, eandem ab artificialibus totam detiuari: illud tanquam probatum & concessum sumo, artificialia inartificialibus esse præponenda. Artificialia sunt prima vel orta de primis. Quæ oriuntur de primis ea naturam eorum argumentorum, quorum vi procreantur & constant, omnino referunt ac imitantur: adeo vt si de primorum dispositione transacta res sit, nulla esse possit in ortorum collocatione difficultas. Prima itaque argumenta attendamus: ea vero sunt, *Causa, effecta, subiectum, adiunctum, dissentanea, comparata.* Causa effecto notior est & illustrior: nec mirum, cum fons sit cognitionis & scientiæ Quin & subiectum quodammodo notius est adiuncto. Dissentanea verò æqualem notitiæ lucem, & comparata vi comparationis similem naturæ claritatem complectuntur. Ac proinde si de rebus ad methodicè collocandum propositis quæratur, vtra notior sit, quo argumenti genere comprehendatur statim intuere. Si rei explicatæ & tractatæ causa sit aut subiectum, notitiæ differentiam assecutus es. Nam causa effecto absolute clarior est: subiectum etiam adiuncto illustrius. Sin vero dissentaneum aut comparatum fuerit: de collocatione minime laborabis. Non enim magni interest, cum in vtroque æqualis ratio notitiæ appareat, hoc an illud diuersum, hoc an illud disparatum præponatur, & in comparatis parum refert hoc an illud antecedat: vt e duobus similibus,

hoc an illud priore loco disponatur. De ortis diximus, in ijs nempe primorum naturam comprehendi & referri. Quæ itaque de causis oriuntur notiora sunt illis, quorum origo ab effectis deducitur. Ex quo fit vt coniugata causa coniugatum effectum, notatio ex causis notationem ex effectis, distributio e causis distributionem ex effectis notitiæ claritate vincat. Sic reliquorum ortorum notitia debet ex illorum, quorum naturam ratione originis repræsentant, claritate æstimari. Vides Theoripoie quid velim. Notitiæ differentiam ex argumentorum affectione repeto & discepto. Enuntiata artificialibus aut inartificialibus argumentis constant, explicantur, iudicantur. Explicationem artificialibus comprehensam qualibet inartificiali notiorem esse dicimus. Sed illa ex artificialibus instituta tractatio pro artificialium natura & conditione distinguitur: adeo vt quę enuntiata causas vel subiecta sequentium completuntur, ea cæteris illustriora habeantur. Sed vis ne adhuc vt disertius explicem, quomodo illa in singulis notitiæ differentia dijudicanda sit? Dicam certè vt potero: si minus assequor quod volo, sit tamen in re positum atque natura. Id itaque *notius* appello, quod explicari intelligique possit, tametsi illud, quocum splendore notitiæ comparatur, minimè explicetur & intelligatur. sic e duabus Logicæ partibus si quæras vtra sit notior, inuentionem nominabo: quid ita? quia inuentionis explicatio institui & intelligentia comprehendi potest, etiam si nulla iudicij tractatio & cognitio præcesserit. At tradere doctrinam iudicij & cognoscere non potes, nisi ante inuentio tradatur & cognoscatur. Sic enuntiatum syllogismo, syllogismus methodo clarior est. Cur tandem? quia

quia syllogismi natura sic est comparata, vt propter quædam ab enuntiato assumpta, demonstrari & a quoquam percipi non queat, nisi enuntiatum demonstretur ante & percipiatur. At verò enuntiati demonstratio perfici scirique potest, præcepto syllogismi methodique nondum tradito & intellecto. Si omissa enuntiati & syllogismi disciplina, ad methodi vim enodandam animoque consequẽdam accesseris, inanem certe operã polueris Nam methodi definitio ex nonnullis constat, quorum explicatio est enuntiati aut syllogismi propria. Itaque ad methodum præcepto exprimẽdam & mente comlectẽdã enuntiati syllogismique intelligentiam afferre debemus. Sic in physiologia elementum notius est quam meteoron, metallum, planta: quia elementum sine hijs declaratur & intelligitur: horum verò declaratio & cognitio ex elementorum doctrina repetitur. Sic animal homine, homo Socrate notior existit. Non enim quid sit Socrates ante constabit, quam hominis naturam compertam habueris Nec quid sit homo prius eluceſcet, quã de natura animalis constiterit. At vero de animali, quid sit, id cognitum nobis & exploratum esse potest, tametsi quæ natura hominis Socratisq; existat ignoremus. sic arbor platano, color albedine, sapor dulcedine absoluta notione prior est. Nam explicatio cognitioq; & arboris ad platanum cognoscendam, & coloris ad albedinem intelligendam, & saporis ad naturam dulcedinis comprehendendam sic est necessaria, vt hæc sine illis haudquaquam illustrari & definiri, illa sine hijs tractari cognoscique possint. Deniq; quicquid causam aliorũ subiectiue cõtinet, illius natura enucleari subtiliter & sub intelligentiam cadere potest, tametsi ea, quorum causa

aut ſubiectum eſt, nondum enodentur & illuſtrentur. Quapropter id cæteris notitiæ claritate ſemper antecellit, ſine quo explicari cætera intelligiq; non poſſunt, ipſum vero ſine cæteris commode poteſt. Hanc in exploranda notitiæ differentia præceptionem ſi quis ſibi ob oculos proponat ac velut ducem ſequatur, non facile aliquando labetur. Cum igitur res methodo diſponendæ occurrunt, ille ad hanc regulam tanquam ad perpendiculum ſeparatim exigendæ & accuratiſſimè expendendæ ſunt: atque illius ductu methodicæ collocationis vniuerſa ratio dirigenda & gradibus diſtinguenda: ſic quod abſoluta notione primum eſt primo loco, quod lumine notitiæ proximum eſt ſecundo, quod claritate naturæ tertium eſt tertio diſponetur: atque idem in cæteris diſponendis modus obſeruandus eſt. Ecquid iſta intelligis Diplodophile? attende quid ex hac tam concinnæ diſpoſitionis forma, quæ a notioribus ad ignotiora progreditur, P. Ramus concludat.

Diſponetur (inquit Ramus) ex homogeneis axiomatis primo loco abſoluta notione primum, ſecundo ſecundum, tertio tertium, & ita deinceps: itaque methodus ab vniuerſalibus ad ſingularia perpetuo progreditur. Iſtud conſectarium diligenter excute, & in Rameï iudicij dianoiam inquire. Res enthymemate concluſa eſt: aſſumptionem, quæ omiſſa eſt, ad ſyllogiſmum explendum, & vim iudicij illuſtrandam addamus,

Ab abſolute notioribus ad ignotiora methodus ſemper progreditur.

Vniuerſalia ſunt abſolute notiora: ſpecialia ignotiora.

Ab vniuerſalibus itaque methodus ſemper ad ſpecialia progreditur.

Annon iſta (Theoripoie) prudenter a P. Ramo accurateq; concluduntur? Syllogiſmi propoſitio illuſtrē & minime dubiam ſententiam complectitur: attamē amen tibi fortaſſe, qui in dialogo methodum aliquam

quam a tenebris ad lucē progredientem fingis, falſa videbitur & admodū captioſa. oppones haud dubie illam notiorū partitionē, ideſt, iugulatam iam ſæpe & confoſſam theoriam, immo ab ipſo Ariſtotele 6. top: cap. 3: refutatā, fortaſſe vero (inquit Ariſtoteles) abſolute notum eſt non quod omnibus notum exiſtit, ſed quod nobis animo bene conſtitutis & affectis notum eſt: quemadmodum id abſolute ſalubre eſt, quod hominibus corpore bene habentibus ſalubre eſt. Hic Ariſtoteles Ariſtoteleæ partitionis membra non ſatis conſiderate alibi diſiuncta, ſapienter verēque confundit. Quod itaque nobis mente bene cōpoſitis, id Ariſtotelj naturaabſoluteq; motius eſt, & contra. Neque vero ſi origo notitiæ ex obſeruatione rerum ſingularium ſenſu preceptarum exiſtat, idcirco res ſingulares ſunt nobis notiores. Vides e minutiſſimis ſeminibus originē maginitudinis ſuæ truncum accepiſſe, ſemen tamen trunco maius non eſt. vides ingenti aliquando flammæ e ſcintilla principium lucis acceſſiſſe: ſcintilla tamē aflamma luminis ſplendore ſuperatur. ſic etiamſi notitiæ in generalibus origo ex obſeruatione ſingularium defluxit: generalia tamē ſingularibus luce claritatis præſtant. Illud itaque teneatur, methodum non ab ignotioribus ad notiora, aut a tenebris (vt ait Diplodophilus) ad lucē progredj, ſed a rebus abſolute clarioribus ad obſcuriora ſēper procedere. Aſſumptionē vero videamus *vniuerſalia ſunt abſolute notior a ſpecialibus.* Mitto authoritatem Ariſtotelis: ratione pugno. Quæ intelligi explicarique poſſunt abſque ſpecialium intelligentia, quæ communes ſpecialium cauſas complectuntur, ideoque ad eorum illuſtrationem explicationemque adhibentur: ea ſpecialibus ſunt abſolute notiora. At vniuerſalia explicarj intelligique

ligique possunt absque specialium intelligentia: at vniuersalia communes specialium causas complectuntur, ideoque ad explicationem specialium illustrationemque adhibentur. Hinc vniuersalium Aristotelica eulogia. Vniuersalia sunt *aitiotera, archodesstera. epistamonicotera.* Quid ergo? ecquis iam est ex omni theoricorum grege, qui specialia generalibus dicere audeat notiora? Sed vt prioris syllogismi assumptio plenius intelligatur, definiendum vniuersale & exponendū est. Vniuersale est, quod ineſt in pluribus, & a quo nulla est ad speciale reciprocatio consequentiæ. vt vnum ineſt in pluribus quam duo & si verum sit sequitur esse duo. Aristotelica sane & illustris definitio: in qua videturmihi philosophus quasi signum aliquod sustuliſſe ad dirigendam methodicæ dispositionis rationem: immo tanquam digito demonstrasse quid in methodo primum esse velit, quid secundum, quid tertium. Quære a grammatico cur primo loco etymologiam, secūdo syntaxin exposuerit, respondebit nomen, verbum, aduerbium, coniunctionem, quæ sunt etymologiæ, in esse in oratione quæ est syntaxeos: non autē orationem in nomine aut in verbo. Contendetque si sit etymologia, non ideo sequi syntaxin esse: at si aliqua orationis structura sit etymologiam esse necesse est. Si Rhetori obiicias ordinis inuersionē, quod elocutionem pronuntiationi, tropum figuræ præposuerit, statim de ordinis concinnitate perorabit: dicetque si pronuntiatio sit, elocutionē precessisse: quia pronuntiatio est apta elocutionis enuntiatio: non autem si elocutio sit, pronuntiationem esse. Sic tropus in esse potest in figura, non autem figura in tropo. Nam tropus est singularum vocum: figura coniunctarum. Qui istam vniuersalis definitionē perspectam habet & cognitam, annon dialectico iudicium inuentioni

præponentj ſuccenſebit? annon euincet argumentum ineſſe in pluribus, quam enuntiatum aut ſyllogiſmũ aut methodum? Methodus non ineſt in ſyllogiſmo: ſyllogiſmus non ineſt in enuntiato: enuntiatum non ineſt in argumento, at argumentum ineſt in hiſce omnibus. Et ab argumento ad enuntiatum & ſyllogiſmum nulla eſt receprocatio conſequentiæ. Nam ſi enuntiatum ſit aut ſyllogiſmus, ſequitur eſſe argumentum: at ſi argumentum fuerit, non ideò ſequitur enuntiatum aut ſyllogiſmum eſſe. Sic ſi methodus ſit, enuntiata ſunt eaque ſuo aut ſyllygiſmi iudicio nota: at ſi enuntiatũ aut ſyllogiſmus extiterit, non ideo methodus eſt. Si ab Arithmetico ſciſcitere, cur ante ſimplicem atithmeticam præcepto comprehenderit, quam de comparata diſſernerit: cur notationi numerationem, numerationi primæ in additione & ſubductione coniunctam in multiplicatione & diuiſione poſtpoſuerit ac ſubiecerit: equidem Arithmeticam ſimplicem comparata, notationem numeratione, numerationem primam coniuncta generaliorem eſſe reſpondebit. Nam ſi hæc fuerint, illa eſſe neceſſe eſt: non autem ſi illa extiterint, hæc etiam idcircò extitiſſe ſequitur. Quid geometra? annon eandem de geometriæ diſpoſitione tationẽ interrogatus reddet? affirmabit punctũ pluribus ineſſe quam lineam, lineam pluribus ineſſe quã ſuperficiẽ, ſuperficiẽ quã corpus: & a puncto ad lineam a linea ad ſuperficiem, a ſuperficie ad corpus nullam eſſe reciprocæ conſequentiæ vim: ideoque ſe in conſtituenda geometriæ methodo puncto lineã, lineæ ſuperficiem, ſuperficiej tratationem corporis ſubieciſſe. Intelligis opinor iam tandem (Theoripoie) quid Ramus vniuerſale appellet: Non loquitur de logicj generis ſimplicj illo quidem & vnius tã-

tum

tum vocis categoremate: ſed eo genere aliquid generalius ſub nomine vniuerſalis cõprehendit. Omni generi id tributum eſt vt vniuerſale ſit: at omne vniuerſale, quomodo iam vniuerſale interpretamur non eſt genus. Linea ſuperficie generalior eſt ad propoſitæ definitionis ratio nem: linea tamen ſuperficiej genus nullo modo dici poteſt. Intelligis porro quam illa vera ſit aſſumptio. *vniuerſalia ſunt abſolute notiora ſpecialibus*: & niſi malis texendæ methodi rationem a rebus abſolutè ignotioribus progredi, niſi plus tenebris quam luci, & confuſioni quam ordini tribuas, de propoſitionis etiam veritate confitebere. facile profecto adducor vt putem velle te P. Ramo de propoſitione & aſſumptione non illibenter aſſentiri, niſi complexio tantopere diſpliceret. Vides enim conceſſa ſyllogiſmi antecedente parte, duplicis methodj labefactari vanitatem. Nam ſi methodus ab vniuerſalibus ad ſpecialia perpetuo progrediatur, vnicam eſſe neceſſe eſt. Verum enim vt vnitas methodi inuiſa tibi atque odioſa eſt: ſic Ramea de vnitate methodj inſtituta demonſtratio inconſtantiæ cuiuſdam elencho ridicula: ideoque eam in reſponſionis tuæ principio vehementer exagitas. Huius theoriæ analyſin breuiter ſubducendam eſſe cenſeo, non tam ad demonſtrationem vnicæ methodi ab inconſtantiæ crimine vindicandam, quam ad inſulſitatem friuolæ diſceptatiunculæ illuſtrandam. Primum id Ramo placere doces, vt methodus ſit vnica.

Si Ramus (*inquis*) duplicem methodum intellexiſſet, vnam inueniendi alteram docendi, hanc diuiſionem in capite de methodo expreſſiſſet.

At hanc diuiſionem in capite de methodo non exprimit. Ramus itaque duplicẽ methodũ non intelligit, ſed vnicam Methodi vocabulo P. Ramus, dum in refutatione mul-

multiplicis methodi pro more Ariſtotelicorum interpretum loqui vult, modo argumenti inueniendi præceptum, modo enuntiati & ſyllogiſmi doctrinam comprehendit: cum tamen vnicam duntaxat rei inuentæ iam ac iudicatæ ad ordinem redigendæ methodum eſſe ſtatuat. Quoties igitur methodum inventionis aut enuntiati aut ſyllogiſmi nominat toties non methodicam rerum ordine diſponẽdarum præceptionem ſignificat, quæ P. Ramo proprie methodus eſt, & logici iudicij pars vltima, ſed methodi voce ad notanda inuentionis enuntiati ſyllogiſmi præcepta abutitur. Id cum tu minime animaduerteres, ad Ramum leuitatis condemnandum inani altercatione delapſus es. Huius prioris ſyllogiſmi etſi concluſa theſis veriſſima ſit, conſequentia tamen lubrica eſt, ab illo, quem attigi, erroris fonte nata. Nam vtraque via & illa ſcilicet argumenti inueniendi & hæc argumenti iam inuenti ac iudicati ordine digerendi a P. Ramo celebratur: nec tamen ex eo conſequitur vtranque viam in capite de methodo explicari debuiſſe. Id enim eſſet non methodum partiri, ſed membra heterogenea, caput nempe cum pede confundere & permiſcere. At verò ſi inueniendi methodo rationem quandam rei prius inuentæ & æſtimatę ad ordinem reducendæ comprehenderet: equidem tibi de propoſitionis conſequentia aſſentirer, diceremque ſi methodum rei ordine collocandæ duplicem eſſe putauiſſet, vnam inueniendi, alteram docendi, dicerem (inquam) iſtius partitionis elegantiam in capite de methodo exprimere Ramum voluiſſe: immo debuiſſe. Verum perge: docuiſti id Ramo propoſitum eſſe vt methodi vnitatem probet & exornet. Iam diſſeris fieri non poſſe vt methodus docendi ſecundum Ramum

mum sit vnica. Huc Rami effecta & Talæi testomonium producis. Illa tali iudicio concluduntur.

Qui *(inquis)* in methodo explicanda ab inferiori ad superius siue a specie ad genus procedit, & docet insuper methodum ab vniuersalibus ad particularia semper progredi, secundum eum duplex est methodus docendi scientias

At Ramus in methodo explicanda ab inferiori ad superius siue a specie ad genus procedit, & docet insuper methodum ab vniuersalibus ad particularia semper progredi.

Ergo secundum Ramum duplex est methodus docendi scientias.

Conclusionem istam disiunctione nescio quæ mirifica illustras.

Ergo *(inquis)* aut duplex est methodus docendi scientias secundum Ramum, aut vnica tantum methodus tam inueniendi quam iudicandi.

Propositio inerti sophismate sopphistica est. Non enim methodi per definitionem explicatio methodus est, admonitionem quandam complectens, quid primo loco, quid secũdo, quid tertio disponẽdũ sit. Definitio (inquã) argumentũ est, nõ autẽ argumentorũ dispositio: materies est methodi præcepto formãda & figurãda, non est ipsa methodus. Ac proinde si quis in methodo definienda & explicanda ab inferiori (vt loqueris) ad superius procedat, & doceat præterea methodum ab vniuersalibus perpetuo progredi, non ideo tamen sequitur vt methodus ex illius opinione duplex sit. Sed facis in assumptione iniuriam P. Ramo. Non enim in natura methodi explicanda ab inferiori ad superius aut a specie ad genus procedit: sed definitio methodi est e prioribus & superioribus constituta. Constat enim ex genere, forma, & fine. Quid? illustratio conclusionis e disiunctione quã arguta est? P. Rami dialectica tibi illius disiunctionis ineptias notare potuisset, Quæ est enim disiuncti necessitas, cum propter interiectum medium nulla

sit

ſepartium neceſſaria oppoſitio? Iſta duo in eundem eleganter conueniunt, vt & methodi vnitatem approbet, & tamen viam inueniendi argumenti a ratione eiuſdem iudicandi diſcrepantem faciat. At teſtimonio fortaſſe Talæi demonſtratio vnicæ methodi conuincitur leuitatis. Methodus (inquit Talæus) hic nulla agitur inuentionis, neque methodus enuntiati, aut ſyllogiſmi: Quid ex iſta oratione colligis?

Iam (inquis) tertiam methodum lucrati ſumus, vnam inueniendi alteram enuntiati vel ſyllogiſmi, tertiam Rami ab vniuerſalibus.

Immo vero non rationem tripartitæ methodi, ſed opinionẽ tripartitæ ſtultitiæ lucratus es. Nam inueniẽdi methodus non eſt Talæo rerũ diſponẽdarũ forma aliqua, ſed excogitandi argumenti præceptio: atque hæc eſt ſapientiæ tuæ pars prima. Deinde methodus enũtiati & ſyllogiſmi nihil aliud eidẽ eſt quã regula argumẽti cũ argumẽto coniungendi ad iudiciũ veritatis, & quæſtionis cum tertio argumento diſponendæ ad iudicium conſequentiæ: non eſt ordinis conſtituendi magiſtra: atque hæc eſt ſapientiæ tuæ ſecunda pars. Poſtremo quod e Talæi teſtimonio quintuplicem methodum non concluſeris, vnam inuentionis, alteram enuntiati, tertiam ſyllogiſmi, quartam ab vniuerſalibus, quintam definitionis ab inferiore ad ſuperius ſiue a ſpecie ad genus procedẽtis, id ſapientiæ tuæ tertia pars eſto. Quapropter in Rami vnicæ methodi demonſtratione nulla leuitatis offenſio eſt: immo eam vim habet vt duplicem methodum conuellat, & vnicam ab vniuerſalibus perpetuò progredientẽ concludat. Nam ſi verum fuerit, eam non ab ignotioribus abſolute, ſed a ſimpliciter notioribus informãdã eſſe: verũ ſimiliter eſt eſſe dũtaxat vnicã eamq; ab vniuerſalibus ſẽper procedẽtẽ: quoniam vniuerſalia abſolutæ notitiæ ſplendore

ſpecia-

ſpecialibus antecellunt. De commodis, quæ illam à generalibus diſpoſitionem conſequuntur, & de incommodis, quæ e methodo a ſpecialibus progrediente redundant, in Admonitione diſſerui. Atque hactenus de forma methodi: cui addita eſt e ſubiectis, in quibus diſponendis verſatur, & ſubiectorum duobus adiunctis illuſtratio. Reſtat methodi finis. Ille vero quis eſt? Certe *Ordo* e variorum & homogeneorum axiomatum pro claritate notitiæ inſtituta collocatione deductus. Huc pertinet Ramea e ſimilibus exornatio. Vt ſpectatur (inquit) in axiomate veritas & falſitas, in ſyllogiſmo conſequentia & inconſequentia: ſic in methodo conſideratur, vt per ſe clarius procedat, obſcurius ſequatur, omninoque ordo & confuſio iudicatur. Si roges igitur quem ad finem diſponatur, ex homogeneis axiomatis primo loco abſoluta notione primum, ſecundo ſecundum, tertio tertium, & ita deinceps: reſpondebo vt ſublata confuſione ſplendor elegantiſſimi ordinis eluceat? Quid? Ordo iſte quam ſecum vtilitatem affert? Sane permagnam. Nam quod res artibus comprehenſæ aut quacunq; commentatione explicatę facile intelligantur, quod etiam memorię commendentur ac conſeruentur, id quantumcunque eſt, certe eximium quiddam & ſingulare eſt, totum ordini debemus.

Sed definitio methodi, quæ hiſce tribus perficitur Genere, nempe Dianoia, forma, quæ ſita eſt in axiomatum diſpoſitione pro naturæ claritate, fine, quem ordinem eſſe diximus, ſatis opinor explicata eſt. Iam ſi aliquid deuſu adiunxerimus, nihil erit quod diſideretur amplius. Age igitur vſũ methodi ſi placet illuſtremus. Sed in illuſtratione iſta tanto errimus breuiores, quanto in methodicæ definitionis explicati-

cationē ſuimus longiores.

Vſus methodi cernitur in cōmentationū ordine vel texēdo vel retexēdo. Ille vſus methodi geneſis, hic analyſis dicitur. Cōmētationū genera varia ſunt: quorū nonnulla eiuſmodi exiſtunt: vt artis conſormatio: tractatio ethicæ aut theologicæ quæſtionis: tū ex hiis interdū omnibus cōſtituta forēſis oratio vel poema: epiſtola: cōmunes loci. Habemus a P. Ramo in quinq; liberaliū artiū cōformatione nobiliſſimū conſtitutæ methodi exēplū: ſed harū artiū inſtitutā a generalibus diſpoſitionē ante expoſuimus, Quid cū ethicæ quæſtionis tractatio ordine quodā digerenda ſit quid (inquā) faciendū eſt? certe idē quod methodi definitione præcipitur: quod P. Ramus in illarū artium exædificatione iam præſtitit: id eſt omnia explicatæ quæſtionis axiomata ſunt pro notitiæ in ſingulis claritate ſiue pro ratione (ut ita dicā) generalitatis diſponēda. Notitiæ enim & generalitatis (liceat quæſo iſta iam voce vti) animaduerſa in ſingulis enuntiatis differētia admonebit quid primo loco diſponendum ſit, quid ſecundo digerendū, quid tertio collocādum, quid quarto quintoq; reſeruandū, quid tranſmittendū ad extremum. Huius differētiæ dijudicādæ ac cognoſcēdæ rationē ſupra notauimus. Eam hic ſubjicere ex antecedētibus repetitā non alienum fore iudico. Atq; vt res tota diſertiſſime explicetur & euoluatur, illius differentiæ dijudicandæ rationē, quæ vnica fere eſt, tamē minutatim diſcerpemus: vt ſi differētiæ intelligendæ ratio hiſce verbis cōprehēſa minus dilucida videatur, ſtatim an alio modo expreſſa ſatisfaciat, attendamus. Age itaque: Quod cauſas aut ſubiecta aliorum continet: quod explicari *intelligique alias nondum* intellectis & explicatis poteſt: quod ineſt in pluribus: a quo non

cõuertitur consequẽtia: id absolute notius est, id generalius. Nõ me fugit quod hic quadrupliciter expressũ est id in vnã eandẽq; rem cadere posse & cõprehendi. Sed volui huius differentiæ deprehẽdẽdæ modum ista varietae illustrare. Proponatur iam ad methodice disponẽdum ethicæ alicuius quæstionis cõfecta explicatio. Illã si placet vulgarem, quod *Virtus expetenda sit* assumamus. Fingamus quæstionis arguuienta iam inuenta esse, & enuntiati aut syllogismi iudicio æstimata: eaque in locum vnum confusa: hoc nempe modo. *Virtus* animum præclare conformat & excolit, cur nõ igitur eandem studiose persequeremur? *sed cum* virtus pro duplici facultate mentis bipartita existat, alia nempe intelligentiæ, alia voluntatis, docebo vtranque in rebus expetendis numerandam esse. *Si quid* veræ gloriæ, si quid sanæ & ingenuæ voluptatis vsquam est, id certe in virtute potest deprehendi. At vero res verissimæ gloriæ ornamento commendata, & honestam voluptatem complexa nunquam fugienda est. *Nam Virtus* est illa quidem diuinitus delibata: adeo vt sceleris euiusdiã sit in illius studiũ nõ incũbere. *Quid virtus* volũtatis annõ etiã eiusmodi est quæ nostros animos ad se rapere debeat? Certe. Nã ductu quodam prudentiæ in regendis affectibus versatur, quo quid optabilius esse potest? *Fortitudo* ex magnitudine excelsi animi ad iuris constituti defensionem propendet. *Iustitia* ex sinceræ voluntatis æquitate ad ius exercendum affecta est. *Virtus voluntatis* vel tota continetur interna actione ad voluntatem conformandam, vel conformata iam voluntate sese ad aliorum vsum externis actionibus diffundit. *Prior* illa vel tẽperãtia est, qnæ in corporeis voluptatibus coercẽdis sita est vel *praotes* quę in ira comprimenda versatur

atur. *Posteriora* quę sese ad aliorum vsum externis actionibus diffundit, aut vsum *non crematon*, aut rationem iuris intuetur.

Intuenti mihi in virtutis naturam præclare sentire videnter illi, qui virtutem in rerum expetendarum numero ponendam esse censent. De virtute intelligentiæ vt loquar, *prudentiam* si quis neget expeti oportere is lumen animi quo consilia & suscipiuntur & diriguntur tollendum esse fateatur necesse est. Hæc rempub. pace florentem ab hostili ineptu tuetur. Hæc legibus latis ciuitatem constituit: hæc homines a fera agrestique vita ad humanitatem & societatem colendam traduxit. Quæ vsum *non crematon* intuetur liberalitas est, virtus illa quidem ad subsidium alienæ necessitatis optanda & colenda.

Vides hic varia axiomata eaque homogenea confundi vna & cõmisceri. Quæro a te (Diplodophile) quæ tandem dialecticæ pars ad hibenda sit, ad istam confusionem tollendam & vnumquodque axioma ordine & suo loco digerendum. Nunquid ratio inueniendi argumenti ad exprimendam ordinis elegantiam confert? certe inuentionis præcepto non est opus. Nam omnia illa, quibus istam de virtute quæstionem explicatam vides, iam inuenta sunt. Inuenta subiecta & adiuncta. Reperte difinitiones & partitiones. Quid ergo? cum ad ordinem conformandum nullus vsus logicę inuentionis sit, an axiomatis iudicio opus est ad singula suis sedibus apte distinguenda? Atqui vero quæ argumenta inuentio ad arguẽdã quæstionẽ suppeditauit, ea in axiomate disposita iã sunt ac iudicata. Est (inqnã) definitio cum re definita, partitio cũ re partita in enuntiato coniuncta & æstimata: eodemque modo cætera

argumenta. Num igitur syllogismi præceptis vtemur? At vero quicquid in hiis rebas dubium erat & cõtrouersum, id syllogismi legibus disceptatum iam est & concluſũ. Quid nunc reſtat Theorpoie? Sola (vt vides) supereſt methodus. Lumine igitur artificioſæ methodi adhibito, generaliſſima primis locis, ſubalterna medijs, ſpecialiſſima poſtremis diſponemus. Quid ergo ex illis omnibus est generaliſſimũ? certe illa ſententia: *Intuenti* mihi in virtutis naturã, præclare ſẽtire vidẽtur illi qui virtutẽ in rerũ expetẽdarum numero ponendam eſſe cenſent. Hæc eſt ſũma totius rei comprehenſio & quaſi definitio: ac profecto axioma e tot axiomatis generaliſſimum. Nã eſt ſubiectum ad cuius explicationẽ illa enuntiata cõparata ſunt. Quod ſi quæſtionis per enuntiata explicatio fuerit, quæſtionem præceſſiſſe neceſſe eſt. At ſi quæſtio extiterit, non tamen ſequitur explicationem quæſtionis exiſtere. Quare propoſitio ſummam rei propoſitæ complectens, primo loco ſtatuetur. Agedum, quænam enuntiata huic generaliſſimæ definitioni proximum gradum obtinere debent? ecquid virtutis partitio in virtutem intelligentiæ & voluntatis? certe definitioni partitio ſemper eſt adiungenda, niſi aliquid fuerit quod ad ſingula partitionis membra generatim attineat. Eſtne igitur aliquid rei diſtributæ partibus generalius? eſt profectò. idque hiſce tribus ſententijs comprehenſum. Nam virtus eſt illa quidem diuinitus delibata, adeo vt ſceleris cuiuſdam ſit in illius ſtudium non incumbere. Ac cum animum præclare conformet & excolat, cur nõ eandem ſtudioſe per ſequeremur? Si quid porro veræ gloriæ, ſi quid ſanæ & ingenuæ voluptatis vſquam eſt, id certẽ in virtute poteſt de-

pre-

prehendj. At verò res ornamento vetiſſimæ gloriæ commendata & honeſtam voluptatem complexa nunquam fugienda eſt. Hæc cæteris conſequentibus generaliora ſunt cum in ſingulis intelligentiæ & voluntatis virtutibus inſint communiter. Quid quòd illa tria argumenta ſyllogiſmis concluſa, ſint etiam ſingula ſuis locis collocata? Nam primò enthymema quæſtionem virtutis efficiente concludens, deinde eandem ab effecto diſceptans, tum vj adiunctorum iudicans diſponitur. Sed expoſitis ijs, quæ rej partiæ membris communia ſunt, quid iam ex illa confuſione ad collocandum ſeperabimus? equidem virtutis diſtributionem. quid ita? quia explicari intelligique poteſt abſque ſequentibus: quia in pluribus ineſt quam ulla rerum conſequentium. *ſed cum* virtus pro duplici facultate mentis bipartita exiſtat, alia nempe intelligentiæ, alia voluntatis, docebo vtranque in rebus expetendis numerandam eſſe. Hic methodj lex iubet vt partes eodem ordine tractentur, quo diſtributæ fuerint: & tranſitionum vinculis ſi longior inter eas interſit explicatio colligentur. Primum itaque de virtute intelligentiæ, id eſt, de prudentia dicendum eſt. Nam lumine prudentiæ cæteræ virtutes communiter diriguntur ita vt explicari prudentia ſine illis, illæ ignorata prudentiæ natura intelligi non poſſint. *de virtute* intelligentiæ vt loquar, Prudentiam ſi quis neget expeti oportere, is lumen animi quo conſilia & deliberationes ſuſcipiuntur ac diriguntur, tollendum eſſe fateatur neceſſe eſt. Hæc homines a fera agreſtiq; vita ad humanitatem & ſocietatem colendam traduxit: Hæc legibus latis, ciuitatem conſtituit. Hęc ciuitatem pace florentem ab hoſtili impetu tuetur. Sic enim

tria ista prudentiæ effecta digerenda sunt. Nam si ciuitatis conseruatio extiterit, sequitur esse ciuitatem iam constitutam: sequitur etiam quosdam ad colendam societatem traductos esse. at consequentia hæc reciproca non est: ideoque colendæ societatis institutæ ratio prior cõseruatione ciuitatis est. Primo distributionis membro exposito, secundũ debet succedere. *Quid? virtus* voluntatis non etiam eiusmodi est, quæ ad se nostros animos rapere debeat? Nemo refragatur. Nã ductu prudentiæ in regendis affectibus versatur: quo quid optabilius esse potest? Virtus autẽ voluntatis vel tota continetur interna actione ad voluntatem conformandam, vel conformata iam voluntate sese ad aliorum vsum externis actionibus diffundit. Prior illa vel temperantia est, sicut nimirum in corporeis voluptatibus coercendis, vel *Prudẽtia* quæ in ira comprimenda versatur: vtraque certe propter istam tam excellentem facultatem ab omnibus expetenda. Posterior quę sese ad aliorum vsum externis actionibus diffundit, vsum *tonchrematon* aut rationem iuris intuetur. Quæ vsum *chrematon* intuetur liberalitas est, virtus illa quidem ad subsidium alienæ necessitatis optanda inprimis & colenda. Quæ rationem iuris spectat, ea aut ex sinceræ voluntatis æquitate ad ius exercendum affectatis, vt iustitia: aut ex iniuriæ voluntatis magnitudine ad iuris constituti defensionem propendet, vt fortitudo. Vides horum axiomatum ordinem. Primo explicatum est illud, quod cuilibet in voluntate virtuti commune est. Deinde partitio earum virtutum, quæ voluntatis sunt, subsequitur. Tum partitionis membra tractantur, & ex methodi legibus locis collocantur. Nam vt voluntatis interna

actio-

ctione solummodo conformetur, id conformatæ voluntatis externis actionibus prius est & generalius. Sic iuris constituendi ratio iuris constituti defensionem antecedit. Atque hæc est quæstionis propositæ methodica genesis: quam ideo per partes sigillatim disceptauimus, vt facilius methodi dianoia vsusque eluceſceret. Eandem collocationis formam Theologi in Theologicis commentationibus meditantur: quam ego in hominum doctissimorum excellentissimis concionibus cum summâ voluntate persæpe animaduerti. Primum enim de quo dicturi sunt solent proponere, & velut illustri quadam definitione summatim comprehendere. Deinde nisi rei distributæ membris commune aliquid occurrat, statim thematis propositi membra distinguunt. Tum factæ distributionis primam partem definiunt consimiliter & si multiplex fuerit partiuntur: immo omnibus argumentorum generibus, omnibus iudicij modis illustrant ac persequuntur. Id cum fecerint, adhibita transitione ad partem distributionis secundam digrediuntur, eandemque codē modo, quo primam tractant eleganter & expediunt. Sunt igitur Theologi, qui suas nobis vigilias communicant, in exploranda notitiæ & generalitatis differentia ad ordinem deducendum valde diligentes & accurati. Quæ pars explicari intelligiq; absque alterius explicatione non potest, eam non ante tractant, quam alteram expoſuerint. Quid de oratoribus loquar? Equidem eundem in orationibus texendis ordinem studioſe consectantur. Studium eorum in hoc genere declarant illa de ordinis cōformatione rhetorum præcepta. Volunt enim exordium primo constitui: tum narrationem subsequi: deinde confirmationem

adiungi: postremo epilogum attexi. Hic ego eorum diligẽtiam magis amplector, quam iudicium probo. Si Aristotelem de prima & vltima parte rogent putetne scilicet vtranque necessariam esse, minime ille quidem de necessitate assentietur. Neque herclè iniuria. cui enim rei partes illæ deseruiunt? quid spectant? in altera attentio & beneuolentia quæruntur, in altera misericordia commouetur. Atqui vero diserti hominis de instituta controuersia disputatio attentionem & beneuolentiam conciliat: immo etiam si res erudite tractetur, ad misericordiam concitandam valet. Sed demus vtriusque partis vsu n esse: in quo ego certe non repugno: at illa tamen præceptio *catapantos* non est: præsertim cum multæ orationes exordijs talibus atq; epilogis prætermissis & iã habitæ sint & deinceps haberi possint. Illud vero quod de narrationis & confirmationis ordine præcipiunt, non satis constanter præcipere videtur. Quid an narratio attexenda statim exordio est? si de rei summa definitione & cõprehensione loquuntur plane assentior. Exponendum enim est quid sit illud quod in controuersiam venit. Sin vero aliud quiddam intelligunt (quod certe faciunt ij, qui alia parte, quam propositionem appellant, statum positæ controuersiæ & summam totius causæ comprehendunt) non video cur exordium narratio statim in omni oratione subsequatur. Stultum enim esset quod in media aut alia orationis parte narrari commodissime potest & debet, id exordio festinanter subijcere & alieno loco inuulcare. Quinetiã fit sæpe vt narratio argumentorum momentis disceptanda sit ac confirmanda. Vtrum igitur legitimæ præceptionis vim habet, si quis a narratione confirmatio-

nem

nem loco & ordine ſemper diſtinguendam eſſe dicat? Quid dicam abſque tali narratione qualē rhetores plerumque intelligunt, complures orationes a diſertiſſimis hominibus habitas eſſe? Scholæ profecto noſtræ, cum res longa oratione eloquentiſſime grauiſſimeque explicantur, non ſemper iſtius narrationis elegantiam requirunt. Sin vero ea opus fuerit, eo loco adhibetur, quem cauſæ natura cōcedit. Quapropter nulla hic a Rhetoribus conſtans, & certa lex de methodo orationis proponitur, ſed lubrica & incerta præceptio. Ego vero non aliam orationis ordine diſponendæ viam oratori præſcripſerim quā theologo. Vna ab vniuerſalibus ad particularia eademq; methodus perpetuo adhibenda eſt ſiue e ſuggeſto concionere, ſiue in curia aut foro peroraueris, ſiue in ſchola quocunque modo declamaueris, ſiue ad expoliendum poema, ſiue ad texendā epiſtolam incubueris, ſiue ad cōmunes locos digerendos animum retuleris. Generaliſſima primis ſedibus conſtituenda: ſubalterna transferenda ad medias: ſpecialiſſima ad infimas deturbanda. Hæc enim via eſt intelligentiæ & memoriæ: hæc accuratiſſimi compendij magiſtra. Veruntamen cum delectare, mouere, fallere auditorem denique volumus, *crupſis* methodi adhiberi poteſt, ſed ita, vt ordo, nonnihil interruptus nō plane ſublatus videatur. *crupſis* methodi vel reijciendis homogeneis, vel aſſumendis heterogeneis, vel inuerſione ordinis in principio efficitur. Reijciuntur homogenea, cum definitionū, partitionum, tranſitionum lumina ſegregantur. Aſſumuntur heterogenea, cum digreſſiones a re, & in rē commorationes fiunt. Ordinis inuerſio fit, ſi aliqua ſubalterna generaliſſimis præpoſueris. Atque hæc

de

de methodi genesi. Sequitur methodi analysis, qua tum vtimur, cum contextæ disputationis ordinem retexim⁹, & singulorum dispositionem ad methodicæ collocationis legem expendimus: vt constare possit, sintne primis locis generalissima, subalterna intermedijs, specialissima postremis collocata. Sed cum methodicæ analyseos exempla varia eaq; longe illustrissima a Ramo, Freigio, Makilmanæo proposita sint, nulla a me in hoc tempore proferentur. Methodi igitur controuersia sic disputata sit.

Multa in dialecticis præterea sunt digna mehercule quæ pertractentur. sed ratio temporis, quam mihi ipse præscripsi, plenioris disputationis consilium præcidit. E multis itaq; pauca duntaxat seligenda sunt: eaq; non exornanda & disceptanda fusius, sed nudis syllogismis pressius cõcludenda. Ac primus erit contra logicæ disciplinæ subiectum in quæstione positum.

In quoumque dialecticæ præcepta exerceri possint, id dialecticæ subiectum erit.

At in omni ente & non ente dialecticæ precepta exerceri possunt.

Omne igitur ens & non ens erit dialecticæ subiectum: non sola quæstio: nisi id totius artis subiectum putemus in quo artis particula solummodo versatur.

Secundus contra tripartitam logicam ab interpretibus Aristoteleis confictam informabitur.

Quæ eisdem præceptis explicari possunt eorum singulorum singulę artes non sunt confingendæ.

Ac Apodictica, probabilia, sophistica eisdem præceptis explicantur.

Eorum itaque triplicem artem efficere cuius tandem hominis est? Non loquar de origine partitionis: quam nempe ex enuntiati affectionibus inconsiderate deducta sit. Non dicam contra omnes logicæ disciplinæ leges institutam esse. Ista, siquid contra a Diplodophilo afferatur, deinceps differentur.

Sed

Sed tertio syllogismo quid cõcludetur? certe porphyrianæ institutionis sapientia.

Quarum rerum cum præcepta in definitionibus & partitionibus multiplices elẽchos habent, tum usus mediocris ac nugatorius est, eæ reijciendæ sunt aut corrigendæ.

At prædicabilium in definitionibus & partitionibus præcepta multiplices elenchos habent: at prædicabilium vsus mediocris est & nugatorius, reijcienda igitur aut corrigenda.

Quartus erit de prædicamentis ad hanc formam conclusus enthymemate.

Categoria ad categoriæ definitionem commẽtum est: categoriæ partitio in substãtiam & accidens vitiosa est: singularum categoriarum propria doctrina sophistica est: categoriarum vsus logicus vel nullus est vel minime necessarius

Categoriæ idcirco e logicus tollendæ.

Vbi quintum istis adiecero, tractatione logicarum quæstionum supersedendum esse censeo. At quid postremo isto comprehendetur? certe gloria trium legum de artium materia.

Si quodlibet artis præceptum esse debet omnino necessarioque verum, & homogenum & propter coniunctionem rerum æqualium partibus reciprocum, quodlibet artis præceptũ esse debet *cata pantos cathauto catholou proton.*

At quodlibet artis præceptum esse debet omnino necessarioque verum homogeneum, vniuersaliter primum.

Ac proinde quodlibet artis præceptum esse debet *cata pantos cathauto catholou proton.*

Istarum rerum plenior multo deinceps instituetur disceptatio, nisi defecerit aduersarius.

De Physicis nonnullis

Pro P. Ramo, contra Lieblerum.

PRiore tractatione Logicas quęstiones complexi sumus. Iam e peripatetici philosophi acroamaticis quędam ad differendum seligemus. Ea erunt de motu, de loco, de tępore, de infinito, de æternitate. De motu sic dicemus, ut primùm doceamus in logicis tradendum esse nō in physicis: deinde doctrinam motus in definitione & partitione refellamus. Age igitur de motu præcipere, cujus artis est? certè dialecticę. Quid ita? tantæ controuersiæ rationem attende.

Actio & passio ad logicam pertinent.

Motus nihil aliud est quàm actio & passio.

Motus ideo ad logicam pertinet.

Si de propositione dubitaveris, quære ab Aristotele cur in logicis de actione & passione præceperit. Expende utrum alia in arte de efficiente, in alia de efficientis actione pręceptum explicandum sit. Sin verò Assumptionis sententia aliquid in se vitiosi complexa videatur, de Aristotelica philosophandi levitate conquerare.

71;00

Nam 3. lib. Phy. 3. cap. assumptionem istam Aristoteles profitetur. Sed Rameæ conclusionis ex Aristotele collectę vim omnem infregisse videri vult Lieblerus Tubingensis. *Atquî non* (inquit) *si quid sub communi quadam & populari ratione in logicis tractatur, ob id eius accuratiorem cognitionem nulla peculiaris scientia sibi vindicabit. Hoc enim si asseratur, præter logicam nulla erit scientia: cùm in logicis & de essentiis & de quantitatibus & de qualitatibus & de relatis, quæ omnium ferè artium subiecta sint, tractetur.* Assentitur (ut video) Petro Ramo de positi syllogismi conclusione Lieblerus: sed adhibita distinctione. Res quælibet Liebleri judicio dupliciter tractari potest: in arte alia communiter & populariter, in alia verò exquisitè & accuratè. Sic motus doctrina in logicis communi quadam & populari ratione, in Physicis accuratiore tractatione explicatur. Atquî verò (Schecianæ disciplinæ alumne) quam nobis acroasin obtrudis? Annon quicquid ulla in arte traditur, id illustrandum definitione, & partitione distinguendum, & proprietatum explicatione enodandum est, si rei natura ferat? At istiusmodi tractatione nihil accuratius esse potest. Vtrum dices motus aliam esse definitionem in logicis, aliam in Physicis? aliam partitionem in logicis, aliam in physicis? si non sit, certè doctrina motus utrobique pari accuratione tractatur. Si esse dixeris, illico te locorum comparatio refellet: cùm quæ de motu in organo traduntur, eadem in physicis iterentur.

At dices motum in Physicis non autem in organo definiri. Quid tum? in accurata tractatio-

ctatione κινήσεως quędam est, obscuritatē non populārē facilitatē afferens. Sed cùm Aristoteles eandē in organo partitionem motus explicarit quam in acroamaticis : necesse est ut putet motui eandē definitionē utrobiq; convenire. Quod si id intelligas, logicum motum & generalē in logicis, physicum verò & specialē in physicis ab Aristotele exponi: ne sic quidē effugis:quia eadē de motu & hīc & illic disseruntur. Quænam est igitur ista distinctio de duplici tractationis ratione? Quænam est illa popularis tractatio? Si definitionib⁹ & partitionibus & affectionum explicationibus perficitur, non differt ab accurata. Si nihil definiat,nihil partiatur,nullas proprietates explicet : quomodo popularem facilitatem complecti dicetur?immò si illa definitionum & partitionum lumina defuerint,difficile quiddam & obscurum comprehendit. Sed nisi ista tractationis distinctio retineatur,nulla (inquis)prēter logicam erit scientia . Immò verò nisi hujus distinctionis vanitas tollatur, summa erit disciplinarū confusio: cùm una eademq; res variis in artibus explicetur. Sed ratione doces fore ut nulla prēter logicam scientiam existat. Logica(inquis)de essentiis,quantitatibus,qualitatibus,relatis, quę omnium propè scientiarum subjecta sunt,tractat.Ex quo fit,ut harum rerum duplex tractatio instituenda sit:Secus nulla futura est præter logicam disciplina. Fateor (Lieblere) essentiam in logicis & quantitatē & qualitatē & relata tradi.Sed illa essentia nō est physica aut theologica, nō est aliqua specialis essētia,sed entiū & non entiū cōmunis. Est (inquā) nihil aliud quā logica materia & logica forma.

De hac logica essentia quæ materia & forma cõprehenditur, quæ rerum omnium & revera existentium & cogitatione fictarum communis est, siqua ars prçter dialecticam præceperit, illa in heterogeniæ crimen incidit. Tractat physiologia de elementis, de plantis, de animalibus: Hę sunt speciales essentiæ. Non definit quid sit causa: non partitione distinguit: non explicat quid materia aut quid forma sit. Et rectè. Nam logica essentia in logicis, physica in physicis tradatur: generalia in arte generali, specialia in speciali explicentur. Idem de quantitate disputo. Quantitas, de qua in dialecticis tractatio instituitur, non est ullius præterea disciplinæ subjectum. Non arithmetica, non geometria istam quantitatem attingit. Illa quantitatem in numero discretam, hæc continuam in linea, superficie, corpore, suis præceptis interpretatur. Logica verò quantitas est, qua res comparatæ dicuntur pares aut impares, æquales aut inęquales: cadit autem in res universas, sive corporeæ fuerint, sive incorporeæ: sive essentiæ, sive qualitates: sive in rerum natura constiterint, sive ex ingenii commento nascantur: adeò ut qui in dialecticis numeri & magnitudinis naturam præcepto comprehendit, aut in mathematicis quid par, quid majus, quid minus sit definit, is pulcherrimas artes confusionis elencho perturbet. Quid de qualitate & relatis loquar? An est ulla præter logicam disciplina, quæ qualitatis vim & relatorum naturam definitione complectatur? Physica de qualitatibus prçcipit, sed tamen physicis, ut de raritate & densitate, de colore & frigore, de humore & siccitate,

de

de colore & ſapore . Sic œconomica de relatis loquitur,ſed tamen Oeconomicis, ut de marito & uxore, de patre & filio, de domino & ſeruo. Neutra harum artiũ, quid ſit qualitas aut quotuplex,neutra quid ſit relatum,definit. Sed hujus de qualitate & relatis doctrinę in logicis explicatæ uſus ad omnia ſpecialium qualitatum ac relatorum genera cognoſcenda & tractanda affertur. Dum igitur eſſentiam, quantitatem, qualitatem,relata,quæ in dialecticis traduntur, omnium ferè ſcientiarum eſſe ſubiecta contendis,equidem te inſigne ſophiſma contraxiſſe video : immò in definiendis artium ſubjectis hęſitantem,in regundis diſciplinarum finibus oſcitantem , in permiſcendis heterogeneis colludentem,animadverto.Atque hęc ſit primi argumenti ad motum in logicis tradendum ac retinendum explicatio. Eſt & aliud, quo ejuſdem rei demonſtratio conficiatur.

Quæ res animo concepta eſt communis entium & non entium,de ea in logicis pręcipiendum eſt.

Motus eſt entium & non entium communis.

De motu itaque in logicis præcipiendum.

Propoſitionis veritas certa admodum eſt & explorata : niſi fortaſſe quis ſit qui rem generalem in arte ſpeciali tradendam eſſe putet. At lex καθολου πρωτον tam imparem rerum traditarũ conjunctionem non feret. Vult generalia cum generalibus,ſpecialia cum ſpecialibus copulari, ne vel emergat tautologia vel falſitas enaſcatur. Quinetiam Aſſumptio parem veritatem complectitur. Quæ enim res eſt fingíve poteſt, cui motus non conveniat? de rebus phyſicis quę

corporeæ sunt, nulla controversia est. De cæteris omnibus ambigitur. Lieblerus putat si motus alicui rei præterquam corpori naturali tribuatur, eidem similitudinis causa attribui. Ecquid igitur, Lieblere, si causę rebus aliis præterquam physico corpori tribuantur, eisdem ex similitudine quadam tributas esse contendes? An cùm dicimus, Deus est causa, anima est causa, virtus est causa, Ars est causa, vel illud, virtus constat e causis, ars est vi causarum constituta: utrum (inquam) hiis rebus causa ex similitudine tribuitur? opinor pernegabis. Bene est. In quam rem cadit ut causa sit aut ex causis constituta, annon in eandem causarum actio absque ulla similitudine cadere dicetur? non refragabere. Atqui verò hęc ipsa causarum effectio quid aliud est quàm motio? Non dices opinor Aristotelem ex similitudine loqui, cùm Deum causam moventem, & animam corporis motricem appellat. Quod si utrique conveniat ut rectè idque etiam satis propriè nomine moventis causę vocetur: quid est cur utriusq; motio ex similitudine motio diceretur? Ac proinde quod de similitudine affers, id mihi commentum est ingenii tui. Conjunctio formę cum materia ab efficiente ad finem instituta, sive ea de re corporea sive de incorporea intelligatur, erit generatio. Quod enim aliud huic conjunctioni nomen ascribes? at rebus incorporeis conjunctio hujusmodi convenit, sive veræ sint sive fictę. Sic etiam formæ a materia separatio nomine corruptionis

onis appellabitur. Nec istiusmodi generatio & corruptio rebus fictis ex similitudine convenire magis dicentur, quàm formæ vel conjunctio cum materia vel ab eadem separatio. Sed Lieblerianæ distinctioni a philosophis nescio quibus succurritur. Aiunt motum non tribui rebus fictis, nisi quatenus fingantur & concedantur esse naturales. Itáne verò? cùm motum & actiones fictis qualitatibus, fictis artibus, & cæteris incorporeis attribuo, ecquid hasce qualitates & artes & cætera incorporea in numero corporum naturalium esse fingo? Quod si hercle adhibito cogitationis figmento rem quampiam e tali materia & forma constituerim, qualis in physici corporis coagmentatione inest: tum rei confictæ eosdem motus attribuam, quibus corpus illud, cujus imaginem res ficta quadam imitatione refert, agitatur ac cietur. At verò cùm hominum cogitationes non semper ipsæ sibi in re fingenda exemplar aliquod a natura efformatum proponant, sed possint e fingendi subtilitate aliquid ex ejusmodi materia & forma fabricari, cui nulla planè cum physici corporis essentia similitudo intercedit: quomodo tandem tali figmento motus tribuetur? an quatenus physicam complecti naturam fingatur? Atquî verò nihil hîc physicæ alicujus vel materiæ vel formæ consimile est: veruntamen isti figmento motum & actionem concedo. Equidem istis hominibus, quorum in epistola quadam meminit perexcellenti vir

ingenio Scribonius, Lieblero longè æquioribus utimur. Illi enim motum rebus fictis largiuntur, sed ex hypothesi: hic eisdem quaslibet motiones prorsus detrahit: immò exclamat, sese in hoc de rerum fictarum motu problemate, plane stupidum esse, nec ulla ratione dispicere posse, quomodo id quod non est, motui subjectum sit. Nunquid etiam (philosophe acutissime) non assequeris animo, quomodo causę ad essentiam rei fictæ constituendam adhiberi possint? Si negas, dimittam te ad poëtas, a quibus possis ad rei confingendæ artificiū eruditi. Illi res fictas e causis constituunt: efficientem notant, materiam ac formam illarum frequenter designant, finem etiam attingunt. Sin verò perinde aç poëtæ fateris essentiam rerum fictarum esse e causis constitutam: fateare etiam necesse est generationem rebus fictis cōvenire. Quid enim aliud generatio est quàm rei e causis constitutio? sic qui in Cerberi materia formam ab efficiente impressam esse fingit, is in Cerbero fictam generationem, agnoscit. Quid? cùm e causis rem fictam composueris, an eidem sic constitutæ nullam agendi vim ascribes? nullam quantitatem aut qualitatem affinges? nullum locum assignabis? si aliquam actionem concesseris, eidem motionem concedis, etiam authore Aristotele: & facis idē quod Ovidiana metamorphosis, quæ est rerum fictarum actionibus refertissima. Quod si etiam res ficta quantitatem a te & qualitatem & locum impetraverit, erit certè humanitatis tuæ accretionem, alterationem, lationem eidem non denegare. Non enim magis facile est rem fictam

ſtam e cauſis conſtituere, quàm eidem e materia & forma conſtitutæ actionẽ ac motum attribuere. Sed ecce, hunc inſuper Tubingenſem latet quomodo Deus vel Mens moveatur. Deus (inquit) adminiſtrat omnia per cauſas a ſe conditas; at ipſe Deus nec movet, nec movetur, niſi fortaſſe ſuam ipſe eſſentiam deſerat. Eſt enim κίνησις ἐκ φατικὴ τῆς φύσεως. Quod tu neſcire videri vis, id Ariſtoteles 10. cap. 8. Phy. apertè profitetur. Nam Dei æternitatem inde concludit, quòd Deus perpetuò movere poſſit. Sed quid Ariſtotelico teſtimonio ad tuæ refutationem ſententiæ opus eſt? ſatis ipſa ſeſe ad conficiendam affert. Nihil enim aliud eſt adminiſtratio rerum per cauſas conditas, quàm Dei præpotentis motio: & illa etiam rerum creatio eſt in divinis motibus numeranda: immò Summi Dei quævis actio eſt in numero motuum reponenda. Quod verò in motu vim quandam contineri vis naturæ mutandæ ac perimendę, vide quàm parum logicè diſſeras, dum quod alicui motui ſpeciatim convenit, id omni generatim attribuis. Inquire ſi placet vel in illa motuum Ariſtotelica genera: intelliges quod abs te affertur, id neutiquam eſſe κατὰ παντος. Generatione nova eſſentia conſtituitur: nulla labefactatur & perimitur. Siquid verò in re generanda conciderit interim, & a ſua natura deſciverit, id non generationi ſed annexæ corruptioni tribuendum eſt. Quid loci mutatio? an eam vim habet ut qui ea utatur is ſuam eſſentiam deſerat? Si dixeris, facile adducar ut quodvis a te paradoxon expectem. Intuere obſecro cœli motum. Nunquam certè Ariſtoteli perſuade-

bis motum cæli esse ἐκστατικὸν τῆς φύσεως. Non sumus Lieblere ita affecti ingenii, ut in quibus motibus vis ineſt essentiæ corrumpendæ & velut de suo statu deturbandæ, eosdem in Deum convenire dicamus. Nobis quælibet effectio pro motu est. Quod si in qualibet actione istam delendę ac commutandæ naturæ facultatem inesse demonstraveris, equidem Deo unà tecum omnem motum detrahemus. De motu mentis si dubitaveris, dubita etiam utrũ intelligat, differat, recordetur: utrum inquam aliquid efficiat & moliatur. Sed illud te fortasse perturbat, quod a P. Ramo quælibet actiones in motuum numerum referantur. Siquid hîc peccetur, da illud P. Ramo, quod tibi ipse in omni commentationis genere semper concedis, ut quod cum Aristotele senserit, id rectè sensisse putetur. Apud Aristotelem multis in locis movere, moveri, motus, eandem vim ac significationem habent, quam efficere, effici, & effectus. Hanc igitur culpam præstet Aristoteles. Quid jam de illa Assumptione dicemus? (Motus est entium & non entium communis) an est Liebleriano acumine convulsa? In quamcunque rem causæ & causarum actiones cadunt, in eandem cadit motus. At in res omnes sive reipsa existant, sive cogitatione fingantur, sive corporeę, sive incorporeæ fuerint, causæ & causarum actiones conveniunt. Nunquid ergo rectè philosophabimur, si motum, cujus natura est per res universas dispersa latissimè, ad physica corpora alligemus? Sed qua in arte motus disciplina tradenda sit, satis explicatum arbitror:

arbitror: conſequens eſt ut Ariſtotelicam in definitione motus & partitione acroaſin explicemus. Motus (inquit) eſt ἐντελέχεια entis potentiâ quatenus tale. Ramus de entelechia ſic diſſerit ut probet in motus definitione perperam adhiberi. Entelechia (inquit) vel perfectionem rei, vel progreſſionem ad perfectionem, vel ipſum motum ſignificat. Si rei perfectionem id eſt formam ſignificet, quî fieri poteſt ut motui conveniat. Nam motus Ariſtoteli eſt formę ingenerandæ velut inſtrumentum. Quod ſi motus ideo diceretur perfectio, quia rei perficiendæ vim continet: annon faber conſimili judicio, quia rei fabricandæ facultatem obtinet, fabricatio dici potuiſſet? Aurifex multa expolit perficítque: aurifex tamen non expolitio dicetur, non perfectio. Sin verò entelechia progreſſionem ad perfectionem notet, ſpecies motus erit non genus. Si idem ſit quod motus, non magis naturam motus illuſtrabit, quàm Homo in Hominis definitione adhibitus quid ſit Homo explicabit. Nihil ad horum refutationem a Tubingenſi illo allatum eſt. Nihil ad illius definitionis defenſionem: Motus eſt actus entis potentiâ, quando actu agit ipſum aut aliud. Hujus acroaſeos elegantiam a Ramo exagitatam tantopere ac convulſam tueri Lieblerus & vindicare ab interitu debuiſſet. Quod cùm minus præſtiterit, videamus nunquid pro Ariſtotelica motus partitione attulerit. Ariſtoteles ad partitionem motus conſtituendam tali ſyllogiſmo utitur:

Enti-

Entium genera sunt quatuor, essentia, quantitas, qualitas, ubi.

Motuum genera sunt æqualia generibus entium.

Motuum igitur sunt quatuor genera.

Vides Lieblere quid isto syllogismo conetur Aristoteles. Ad propositionem quod attinet, Ramus Aristotelicam in entis partitione singularem inconstantiam deprehendit. Nam entis species modò tres ab Aristotele fiunt: modò quatuor: nonnunquam sex: aliquando octo: interdum decem: ut in scholis physicis demonstratur. Quidnam igitur ista de propositione sentiendum? quę de tot partitionibus partitio admittenda? si me audieris, earum nulla. Quæ ergo Entis primæ species existent? certò eędem quæ logici argumenti. Lieblerus ad excusandam Aristotelicæ partitionis leuitatem distinctiunculæ nescio cujus festivitatem attulit. Ait Aristotelem tot semper illis in locis, qui a Ramo proferuntur, entium genera numerasse, quot institutæ tractationi serviunt. Quid hoc aliud est quàm dicere Aristotelem illis in locis legitimę accuratæq; partitionis laudem minimè secutum esse? si divisio instituenda sit, numerus partium non pro ratione aliarum rerum, quæ in tractationem cadunt, sed pro rei dividendę natura distinguetur. Quæ tanta partitionis labes est, quam non sit Liebleriana distinctio probatura? Ejusmodi tractatio esse potest, in qua explicatio sphæræ solaris & lunaris necessaria duntaxat sit: an idcirco sphærarum cælestium distributio in solarem & lunarem legitima logicéq; instructa videri debet? Ecce verò

verò non minor in Assumptione elenchus est. Motuum genera (inquit) sunt æqualia generibus entium. Atqui verò decem entium genera in categoriis ab Aristotele statuuntur: ideóq; motuum genera decem fieri debent. Immò verò si logicè philosophari volumus, nulla motus partitio in logicis informanda est. Nam ut formæ ac materiæ, sic Motus logicæ species entium scilicet & non entium communes nullę sunt. Deinde cujus hominis est, Adjuncti species pro subjectorum numero & varietate constituere? Videmus unum idemq; adjunctum in pluribus iisq; toto genere dissidentibus subjectis inesse posse. Tùne colorem in totidem species tribuendum censes, quot sunt subjectorum genera quibus color adjungitur? Id si feceris, ridiculæ distributionis commentum excudetur. Aristotelem igitur audire non placet, dum vult e generibus entium genera motuum derivari. Non venit illi in mentem de Deo, de spiritibus, de hominum animis cogitare. In hasce res motus Aristotelici non conveniunt: sunt tamen ad Entium classem referendę. Porrò illa quatuor motuum genera non distincta ab aliis alia, sed mirificę confusionis sophismate involuta sunt. Quid ad ista Lieblerus? equidem obmutescit, nisi forte refutationem instruxisse dicatur, cum & propositionem Syllogismi, & etiam Assumptionem a philosophia Aristotelis alieniſſimam esse contendat. Assentior tibi Lieblere, si Aristotelis philosophiam appelles, eam solummodo quæ logicarum legum institutis consentanea fuerit. Sin verò quicquid primo secundoq; capite 3. lib. Phys. com-

comprehendatur, id Aristotelicum sit: non verebor vel confidenter dicere, utramque partem in propositi syllogismi antecedente Aristotelicæ disciplinæ congruentem esse. An negabis ab Aristotele entium quatuor genera recenseri? non est gravitatis tuę quod a philosopho tam diserte exprimitur, id expressum non esse contestari. Sed additur (inquis) ὁμοίως τοῖς τῶν ὄντων. Bene mones. Vtrum igitur vis ab Aristotele conclusum esse, illúdne, esse scilicet motuum genera decem, an potius hoc, motum in quadripartito genere cõsistere? Hoc ab Aristotele haud dubiè conclusum esse dices. Agedum si Aristoteles motuum genera æqualia generibus entium efficiat, & quatuor esse genera motuum insuper concludat: annon apertè testatur sese hoc in capite quatuor duntaxat Entium genera constituere? Sed negas motuum genera generibus entium æqualia ab Aristotele constitui. Equidem quicquam omnino de Motu Aristotelem conscripsisse consimili jure negaverim. Quid obsecro illa verba sonant? *Motus & Mutationis species tot sunt, quot Entia.* Ecquid Lieblere Aristotelis vocem agnoscis? Ecquid te pudet Aristotelicæ philosophiæ decreta profitentem, quod ab Aristotele dicitur id ab Aristotelis philosophia alienissimum esse pronuntiare? Sed enim dum in tua Lieblere inquiro, longius quàm decreveram provectus sum. Ab ista de Motu disputatione discedendum est. Quid sequitur? Disputatio de loco. Ramus vult locum esse spatium rei locatę: ideoque non corpori physico alligatum, sed rerum universarum communem. Aristotelicam

loci

loci definitionē fallacē esse docet: argumenta contra spatiū Platonicū conficta refellit. Quid de istis tandē Lieblerus? Ait Ramum eorū argumentorū, quibus spacium refellitur, vim nullo modo assecutū esse. Si locus (inquit Lieblerus) esset spatiū, una eademq; res duobus pluribúsve locis simul cōtineretur. Nisi tibi Aristotelica de loco acroasis subtilitatē judicii eripuisset, nunquā tam plumbeæ consequentiæ elenchū peperisses. Cùm enim spatium sit ita naturâ comparatum ut omnibus rei locatæ partibus exæquetur, eandemque velut circumscribat & integram comprehendat, quî fieri potest ut eadem res plura simul spatia occupet ac repleat? Sed consequentiam istam inductione exempli illustras. Vini locus (inquis) est totum illud interius dolii spatium. Quod si dolium cum vino transferatur aliò, vinum in alio loco erit, in cavo nempe ejus aeris in quem transfertur, cùm tamen e priore loco, interiore scilicet spatio vinum nondum excesserit. Hoccine a Tubingensi philosopho proferendum fuit? Hoccine a Iacobi Schecii eruditissimi viri discipulo proficiscí debuit? Suscipe vel ad punctū tēporis cogitationē liberi philosophi, & nullius peripatetici legibus addicti. Locus vini est totū illud spatium tribus vini dimensionib⁹ usquequaq; exæquatū. Rectè, quid tum? ergo (inquis) vinum erit in duobus simul locis: quia est & in spatio illo, & præterea in concava superficie continentis aeris. O te non satis ista in thesi sapientem. Quis tibi prēter tui similes aliquando concesserit concavam aeris superficiem esse locum vini? Annon vides Aristotelicā loci definitionē, quę concava

rei

rei comprehendentis superficie perficitur, convulsam a P. Ramo & expugnatam corruisse? tu tamen in spatio refellendo concavam superficiem, quasi a Ramo concessam ac probatam sumis. Veruntamen quod perabsurdum falsumq; est, id si placet obtineto. Sit concava illa superficies pro loco. Quid inde consequetur? an si dolium aliò transferatur, concava aëris superficies erit locus vini dolio concluſi? Atqui verò locus authore Aristotele erit rei locatæ contiguus. Quomodo igitur, cum latera dolii inter concavam aëris superficiem & vinum interjecta sint, quomodo (inquam) concava aëris superficies erit locus inclusi vini? Atque hæc est Liebleriana pro Aristotelis superficie defensio adversus Ramum adornata. Consimilem profectò ad patrocinium Aristotelicæ de *Tempore* acroaseos meditatus est. Tempus ab Aristotele definitur, numerus, motus, secundum prius & posterius. Hîc non tam ipsam Temporis naturam, quam Temporis mensuram eámque de pluribus unam definitione complexus est. Tempus quid aliud est quàm rerum duratio? Hujus durationis, qua temporis natura comprehenditur, multa instrumenta sunt. Nam durationem metimur vel cæleſti motu, vel aquę aut pulveris defluxu, vel umbra e radiis numerata, vel sonante horologio. At animadversa a nobis cæleſtis motionis ratio: at notatus clepsidræ defluxus: at reddita e solaribus radiis umbra: at numeratus horologiorum sonus, non est tempus sed mensura temporis. Nam si muta essent tintinnabula, si motus cæleſtis recideret, si clepsidrę defringerentur, si dispergerentur umbræ

&

& evaneſcerent, non tamen tempus tolleretur, ſed menſura temporis ceſſaret & intercideret. Ariſtoteles ex hiſce tam multis menſuris, quibus durationem metimur, aſſumpſit unicam (nempe cœleſtem motum) eámque definitione explicavit, cùm eſſet illi temporis natura definienda, non menſura temporis exponenda. Quid hîc contra Ramum Lieblerus? Reſpondet ipſum tempus ab Ariſtotele definiri. Id ut confirmet, diſtinctionis ſubtilitatem commentus eſt. Ait enim tempus bifariam conſiderari, primò reſpectu noſtri, deinde ſimpliciter e ſua natura: Ariſtotelem verò Tempus reſpectu noſtri definiviſſe. At (inquam) mirifice argutator, ecquid fateris menſuram temporis definitam eſſe cùm diſſeris tempus reſpectu noſtri definiri? Si iſtud intelligis, Ariſtotelicæ definitionis elenchum agnoſcis. Sin aliud quiddam notas, cedò quidnam illud ſit. Iſtum reſpectum de quo fabulare, nullæ artes in præceptis ſuis ferre poſſunt. Quomodo enim ex illo rerum ſcientia & cognitio efforeſceret? ſingulæ res e ſuis cauſis exponendę ſunt ac definiendæ, cùm e cauſarum fonte omnis cognitio derivetur. Dialectica poteſt habita ratione hominis ſpectari: tum etiã e vi naturæ ſuæ. An idcirco legitimũ fuerit duplicem dialecticæ definitionem ſomniare? Ariſtoteles in definiendo tempore idem facit, ac ſi quis in definienda magnitudine non magnitudinis naturam e cauſis interpretaretur, ſed magnitudinis menſuram, digitum nempe aut pedem deſcriberet. Qui talem magnitudinis definitionem procuderet, an is tibi Lieblere probaretur? hominem certè facultate eloquentiæ

tuæ configeres. Cur igitur Acroamatico doctori consimilem acroasin proponenti tantopere assentiris? Sed das istud peripateticę familiæ, ut quicquid illa decreverit, id divinitus traditum arbitrere. Agedum de motu, loco & tempore disseruimus: Rameæq; disciplinæ veritatem ab impetu Lieblerianę distinctionis vindicavimus. Restant Aristoteleæ subtilitatis inventa duo, infinitas & æternitas. Infinitatis acroasin P. Ramus pluribus disceptavit. Nos e cæteris illa duntaxat excerpemus, in quibus refellendis egregiam navasse operam Lieblerus videri vult. Ramus perpetuæ & infinitę divisionis potentiam tali usus syllogismo profligavit.

Res (inquit) sẽsibilis est finitè dividua, immò potentiam divisionis suæ finitam habet.
At magnitudo res est sensibilis.
Magnitudo igitur est finitè dividua nec in eã cadit infinitæ divisionis potentia.

Syllogismus iste nugatoriam illam magnitudinis infinitatem peremit omnino ac dissipavit. Magnitudinem profectò cogitatione dividere possumus infinitè: re autem ipsa non possumus. Sed illa potentia magnitudinis in infinitum secandæ, est animi duntaxat & cogitationis, non inest in magnitudinis natura. Quid si Menippus aliquis sese aut in Deorum convivio a poculis ministrantem, aut e Iovis cerebro procreatum esse finxerit? idcircóne erit Ganymedes aut Mynerva? Nihil profectò minus. Pari

ratione

ratione non quia e peripato homunculus aliquis potest cogitatione infinitam magnitudinis partitionem confingere, ideo in ipsa magnitudine inerit perpetuæ divisionis potentia. Hic Lieblerus sese inprimis excitat, & ad retinendum Aristotelicæ infinitatis sophisma omnem vim contendit ingenii sui. Quid igitur Lieblerus? quàm strenuè infinitatis commentum tuetur? Quomodo syllogismum illum minimæ magnitudinis assertorem ac vindicem distrahit argutiis suis & expugnat? Dari (inquit Lieblerus) potest minima caro, sed dari non potest minima res naturalis. Caro composita est ex elementis, ac proinde in eadem dividitur. Neque verò siquid propter exilitatem sensum effugiat, id in numero rerum naturalium esse desinet: sed quia cum materia & motu conjunctum est, res naturalis erit, licet nullo sensu percipiatur. Atque hęc est Liebleriana infinitæ divisionis defensio: hęc Ramei syllogismi refutatio, quæ quàm arguta sit & concinna mecum unà paulisper cogitate. Dari potest (inquit) minima caro, sed non minima res naturalis. Enimvero Lieblere ubi mentis tuæ logica sapientia? ubi philosophica cogitatio? Caro annon est e genere rerum naturalium? non potes equidem negare. Quòd si caro dari possit minima, & caro præterea sit res naturalis: annon optimè consequitur e rebus naturalibus aliquam esse posse magnitudine minimam? Si ita tecum disserem, Lieblerus frivolas distinctiones commiscitur. Lieblerus est Tubingensis: ideóque

aliquis e Tubingensibus frivolæ distinctionis architectus est: Si hoc modo dissererem, opinor syllogistici judicii necessitatem illico agnoscerres. Cur non igitur in ista tam subtili & eleganti distinctione, quam affers, conclusionem e propositione & Assumptione, quarum utramque nobis proposuisti, necessariò deductam non attendisti? Agite verò, reliquam responsionis Lieblerianę partem excutiamus. Verum est (inquit Lieblerus) esse carnem minimam: sed quæritur utrum caro non possit ulterius di vidi. Ipse sibi Lieblerus respondet, carnem esse ex elementis compositam: ac proinde in elementa posse resolvi. At ego jam a te Lieblere quæro, cùm carnem in elementa diviseris, utrum adhuc ulterius in carne dividenda progredi possis. si nõ potes, aliqua magnitudo erit finitè dividua: sin verò posse te dixeris, quæritur in quæ tandem divisurus sis. Respondebis ex institutis Aristotelicæ disciplinæ, te carnem in elementa divisam, si ulterius dividenda fuerit, in materiam formámque primam esse divisurum. Bene est. Ad ista verò principia cùm dividendo perveneris, annon divisionem abrumpi necesse est? inficiari non potes. Divisio igitur finita existet ac terminata. Sed pergamus adhuc. Ramus ait magnitudinem esse finitè dividuam & subjectam sensibus. Quid Lieblerus? si magnitudo (inquit) in ita minimas particulas dividatur ut sensum effugiat, nõ tamen res naturalis esse desinet, quia est cum materia & motu conjuncta. Animadvertite quæso quàm bellè philosophetur. Affirmat esse aliquod corpus naturale, quod nequit sensu deprehendi. Nunquid igitur Lieblere

blere corpus aliquod phyſicum eſt, quod animo duntaxat & cogitatione percipitur? Tota peripateticorum familia hoc in loco Liebleri ſapientiam deſiderabit: immò illi crimen intendet ſingularis imperitiæ, & a magiſtro Ariſtotele deſciviſſe convincet. Ariſtoteles ait corpus naturale generari, corrumpi, accreſcere, alterari, loco moveri: ait primis qualitatibus inſtructũ eſſe: at quomodo motus iſti & qualitates in magnitudinem cogitatione ſolummodo percipiendam cadere poſſunt? Verumenimvero reſtat Liebleriani ingenii mirifica acroaſis. Gloriatur Lieblerus demonſtraſſe ſeſe fieri nõ poſſe quin ars totius phyſiologiæ & medicinæ abſque Ariſtotelico infinito corruat prorſus & intercidat. At quæ tandem eſt iſta tam magnifica demonſtratio? certè ex Hyppocratis myrotheciο deprompta eſt. Dico (inquit Hyppocrates) ſi unum eſſet homo, nunquam doleret: neque enim eſſet a quo doleret, ſi unum foret. Hujus ſententiæ Galenum interpretem adhibet Lieblerus. Si ex atomis eſſemus (inquit Galenus) aut alia quadam natura ejuſdem ſpeciei, utique non doleremus. Dolemus verò. Non ſumus igitur e ſimplici aliqua ejuſdémque ſpeciei ſubſtantia conſtituti. Hęc eſt Galenica Hyppocrateæ ſententiæ explicatio: quę ad tuendam infinitatem quantopere valeat, quæſo attendito-te. Diſſerit Ramus magnitudinem quamlibet eſſe finitè dividuam: & continuum e partibus finitè dividuis conſtare. Galenus verò ex Hyppocrate docet Homines non eſſe e ſimplici aliqua & ejuſdem ſpeciei ſubſtantia conſtitutos, quia fit ut dolore afficiamur: dolor autem eſſe

nequit nisi in corpore partibus heterogeneis continuo. Deus bone, quænam est hæc tam singularis inscitia? Hæccine digna philosopho propositę quæstionis disceptatio? Hæccine a Schecianę disciplinæ alumno tam insignis nugatio? Hæccine tam magnificè jactata demonstratio? pudet profectò me tam nullo cõsilio prolatę sententiæ, pudet illatæ a Lieblero Hyppocratis & Galeni manibus injuriæ. Equidem divinare non possum quemadmodum ista queant vel adhibita vi ad vindicandam infinitatem traduci. Homines (inquis) non sunt e simplici aliqua ejusdémque speciei substantia constituti. Assentior equidem. Quid hinc Lieblere concludetur? an humanæ quantitatis producta in infinitum divisio? Ecquid partium heterogenia & dissimilis ratio parit infinitæ divisionis potentiam? Quid itaque de elementis fiet? Illa e partibus similibus & ejusdem naturæ coagmentantur. An ergo si dividantur elementa, eorum divisio terminis quibusdam definietur? pernegabis sine dubio. Fatere idcirco rationem infinitæ divisionis non esse e partium heterogenia, sed e quantitatis natura æstimandam. Sed quorsum ista a Lieblero disseruntur? prędicabat sese demonstraturum, infinitum eam vim habere, ut eo sublato, universam physicam & medicinam corruere necesse sit. An quod instituit assecutus est? fortasse in allata ab eo sententia excellentissimi judicii latet sapientia. Eam si placet expendamus. Non sumus (inquit Lieblerus) e simplici aliqua ejusdémq; speciei substantia constituti. Sublata igitur infinitate universam physicam & medicinam

einam ruere neceſſe eſt. Quis non hujus tam accuratæ conſequentiæ judicium admittetur ac ſuſpiciat? Feceris Lieblere ad gloriam nominis per hercle ſapienter, ſi nihil antè in Ramum deinceps effuderis, quàm adhibueris in conſilium cogitationum tuarum logici judicii ſapientiam. Hanc ſi conſuluiſſes, nunquam certè ad inſtitutam demonſtrationem Hyppocratis ſententiam tam inconſideratè arripuiſſes. Sed de infinito ſatis: ab illo ad Ariſtotelicæ æternitatis acroaſin diſcedamus. Vetus opinio eſt, ſed nata certè in Peripateticorum Lycæo, machinam univerſi & jam ab omni æternitate, conſtitiſſe & ſæculis deinceps permanſuram infinitis. Periculoſa hercle ſententia & non ſatis piam æternitatis complexa diſciplinam. Quid quod a phyſiologiæ inſtitutis vehementer diſſideat? parúmne philoſophię attingere videtur dignitatem? at manavit ab Ariſtotele, eſtque ab eo non acutè modò demonſtrata, ſed explicata copiosè. Concedo: & Ariſtotelem, qua fuit divinitate ingenii, multa pereleganter tradidiſſe fateor. Sed erravit interdum, pace tanti viri dixerim: neque tamen ſi id fecerit ſuccenſeo. Etenim humanum eſt opinionis errore labi nonnunquam, & velut deſciſcentem a veritate concinnitate ſophiſmatis irretiri. Quanquam mihi in hujus diſceptatione quæſtionis non tam cum Ariſtotele excellentiſſimo homine, quàm cum Tubingenſi Liebleto certamen eſt. Immò quicquid nervorum & præſidii iſtam ad theſin vel confirmandam vel pervellendam allaturus ſum, id ſetè totum a Peripateticorum principe mu-

tuabor : adeo ut in hoc tempore Aristotelicæ a me sententiæ non magis oppugnatio adornetur, quàm instituatur defensio. Quo in genere, utrum majus quiddam susceperim quàm ab homine semidocto præstari queat, facta contentione vobiscum ipsi judicate. Quæritur sitne mundi fabrica e nihilo constituta. Negant Peripatetici nonnulli, homines illi quidem & suo judicio perdocti, & meo non leviter eruditi. Quod si ex acroamatiça Aristotelis disciplina non inscitè demonstretur fore ut cælestis fabricæ coagmentatio, quæ est singulari artificio instructa divinitus, divulsa tandem & dissipata collabatur : quid tum a peripateticis istis afferetur? annon consequetur si universi machina distracto partium singularum opificio ad interitum reciderit, eam aliunde ortam esse & velut ab excellenti aliquo principio defluxisse? Hîc si illis mecum de mundi ortu convenit, evincam ab eis ut vel mundum e nihilo originem traxisse concedant, vel sese ab Aristotelicis institutis desciviſse fateantur. Sed video hominum æquitatem : non recusabunt, si mundi interitus ex Aristotele confirmetur, quin mihi sint de illa e nihilo origine sententiam ascripturi. Agite igitur : quid in hanc sententiã philosophatur Aristoteles? Quod (inquit) finitæ naturæ est, in eo nulla vis inest movendi tempore infinito. Quid dici potuit a philosopho ad tollendam cæli æternitatem elegantius? Est enim cæli natura non infinitam vim complexa, sed velut terminis quibusdam definita & circumscripta. Ex quo effici contendo ut cœli motus langueſcat aliquando penitúsque infrin-

fringatur. Lieblerus philosophus ille quidem pereleganti ingenio, quis negat? sed tamen non satis libero & exquisito judicio, cùm videt Aristotelicę philosophię decreta ad pervellendam mundi æternitatem adhiberi, commovetur hercle & pene excandescit. Itaque hîc inprimis vim ingenii contendit sui: hîc sut tilitates suas expromit: ut ementitę distinctionis elencho mundi fabricam a periculo ruinæ tueatur.

Quid ergo Lieblerus comminiscitur? Cœlum (inquit) ut est finitum, nec motum aliis præstare tempore infinito, nec ipsum motu cieri potest, nisi prout ab infinito dependeat principio, id est, a prępotente deo. Atquî verò (inquam) quænam est tam arguta subtilitas? argutam dico? quænam potius tam languida & exanguis distinctio? Si cœlum non sit æternum nisi ratione divinissimę naturæ, cujus numine temperatur, profectò cœlum si ex sese spectetur & æstimetur, non potest quin cujusdam imbecillitate naturę caducum judicetur. Liebleriane distinctionis subtilitate nihil erit vel prima coagmentatione lubricum, vel accersita infirmitate effœtum, quod non possit, si divinitus sustentetur, in numero rerum æternarum percensęri. Sed videte quàm scitè in constituenda æternitate æternitatem labefactet. Non vult in cœli natura vim perpetui motus contineri: sed vult eandem, si quæ tandem sit, a numine pręstantissimæ mentis proficisci. Id si ita est, dicamus cœlum nō sibiipsi originem & essentiam tribuisse, sed eam aliunde tributam accepisse. Quod enim non aliena vi, sed ex sese ab omni æternitate ortum est, in eo satis virium esse po-

nimus ad tuendam stabilitatem naturæ suæ: illius duratio tota in ipso convertitur, nec est ad alienum arbitrium revocata. Cùm igitur cœli perpetuitas, si Lieblerum audire volumus, e cœli natura minimè oriatur & efflorescat, sed existat aliunde ac derivetur: concludamus hercle, cujus coagmentatio absque divinæ potentiæ adminiculo diffluet illico & dilabetur, id ab aliquo natum principio olim devenisse. Quid ergo? cùm Aristoteles finitę rei illam infinitatem motus convenire neget, statim ab eo acutè refutata videtur æternitas? mihi sanè multo acutissimè. Sed ecce quàm enucleatè ab Aristotele aliis adhuc argumentis interitus universi demonstretur. Mundi æternitatem ex illa æternitate principiorum, e quibus concreta rerum physicarum natura est solertissiméq; constituta, velut constructam & exędificatam esse oportet. At verò illa principia, materiam dico & formam, fluctuantem in se naturam, & quasi senescentem complectuntur. Novum quiddam affers dicet aliquis: immò antiquum potius: non ex opinionum commentis repetitum, sed tractum ex observatione naturę: non traditum ab imperitis in concione, sed ab Aristotele in schola celebratum. Quid igitur ait? Rerum (inquit) interitui subjectarum corrumpi possunt & dissipari principia. Atqui verò res naturales sunt ad interitum recasurę. Vnde fit ut principia illa, nempe materia prima & forma, ex quibus conflatæ sunt res physicæ & coagmentatæ, propter infirmam naturæ rationem interitura sint. Lieblerus Aristotelicam illam de principiorum interitu acroasin singu-

lari

lari commento interpretatur: Contendit enim ab Aristotele non rerum principia notari, sed cognitionis theoremata designari. In quo id facit, quod imperiti chirurgi solent, qui ut tabem acceptæ plagæ depellant, infligunt novam. Sic Lieblerus plagam peripateticæ æternitati illatam levissimæ distinctionis medicina sanaturus, aliam ipse inussit non multò leviorem. Nam artium principia, utcunque res illis principiis explicatę in quendam varietate & imbecillitate naturæ versentur, sunt tamen sic informata, ut non fluxa & incerta, sed ad perpetuitatem stabilia sint, nec vaga & erranti opinione consistant, sed judicio nitantur æternæ & certissimæ veritatis. Sed enim ad æternitatem rebus physicis vindicandam urgebit Tubingensis iste, generationis successione æternitatem naturę contineri. At urget sanè magis subtiliter quàm verè. Nam generatione magis rerum universarum prima origo arguitur, quàm æternitas demonstratur. Non negaverim fieri posse, ut rerum species generatione iterata identidem & repetita floreant profectò diutissimè: Sed ut ex illa generationum perenni & minimè interrupta serie res physicas ab æterno viguisse confirmetur, illud sanè vehementer inficior. Potest pingendæ Helenæ artificium ab aliis ad alios transmissum sæculis florere propemodum infinitis: non tamen pingendæ Helenæ artificium ab omni æternitatis memoria constitisse dicetur. Non dissimili ratione perpetuari hominum genera ad sexcentas annorum myriadas possunt facilimè:

fuit

fuit tamen tempus illud, in quo humana natura cepit & primùm velut actis radicibus succrescere, & deinceps propagari. Verumenimverò de ortu mundi assentirentur peripatetici, nisi a divino illo & singulari axiomate, Ex nihilo nihil fieri, penè facinus putarent aliquando destitisse. Equidem remittet peripateticis facinus illud Aristoteles: ignoscétq; illis, si fuerint in hujusmodi axiomate religionis solutissimę. Ait enim se aliquam e nihilo generationem in formarum ortu profiteri. Hinc est quod in metaphysicis physicas rerum formas & absque generatione oriri, & absque corruptione interire sæpiusculè affirmet. Vnde fit ut e nihilo procreatæ in rerum singularum corpora immigraverint. Nam ad quorum constituendam naturam nulla generatio requiritur, ea ex antegressa materia minime nascuntur. At si in effectione formarum materia subjecta defuerit, formæ suam e nihilo originem sortitæ sunt. Sed fingite ex aliquo formas istas defluxisse. Quid illud tandem erit? an materia? at e materia quicquid educitur, erit profectò ejusdem cum materia temperationis & naturæ. an forma ex forma orietur? non placet hercle fabulosa propagatio. Quid ergo? an accidentibus illarum ortum tribuemus? At istud est quovis παραδοξῳ παραδοξοτερον. Quòd si igitur physicę rerum singularum formę, nec ex materia, nec ex forma, nec e concursu accidentium generentur, dubium non est quin e nihilo procreentur. Ac proinde cùm ejusmodi sit formarum origo, ne miretur aliquis, si dicamus a præpotente rerum omnium opifice fuisse machinam universi orbis

bis e nihilo constitutã. Verumenimverò operçpretium erit diligentius attendere quid causæ sit cur Peripatetici nonnulli mirificum illud ἄξιωμα, ex nihilo nihil fieri, tam cupidè amplectantur. Lieblerus, ut Aristotelica mundi æterni disciplina crimine liberetur, ait Aristotelis argumenta, (ut Liebleri verbis utar) ultra naturam non assurgere: naturam verò non posse ex nihilo quicquam constituere: quasi generatio mundi si statuenda esset, necesse foret ut eam ab aliqua potius inferiore natura profectã, quàm a summo illo primóq; Ente institutam diceremus. Sed quid est ultra naturam non assurgere? certè illud, quam uim in rebus procreandis obtineat natura, edocere. Bene res habet. Quæ est autem in re generanda naturç facultas illa? Non potest (inquit Lieblerus) aliquid e nihilo natura fabricari: perlibenter audio. At verò unde istam naturç imbecillitatem deprehendit? Respondebit sine dubio se in corporum singulorum ortu idipsum obseruasse: atq; inde inductione adhibita collegisse, naturam non aliquid e nihilo, sed aliquid e subjecta materia vi generationis semper excitare. Probo sanè adhuc vehementérq; laudo. Agedum, cum in natura jam constituta nullam vim inesse perspiceret rei e nihilo procreandæ, quid hinc demum a Lieblero concludi potuit? equidem pro eximia logici judicii sapientia conclusit hanc ipsam naturam, ne orta e nihilo videretur, velut nixam virtute sua ab ęterno floruisse. At verò ubi est Libleriani acies ingenii? ubi lumen illud judicii? ubi acutissimæ cogitationis subtilitas? Hoccine est ultra naturam non assurgere?

nempe

nempe in differendo elenchum producere leviſſimę conſequentiæ? Mynervæ ſtatua, quę Athenis in arce reponitur, fieri non poteſt facultatem ut aſſequatur ſtatuę alicujus e marmore conſimiliter effingendæ: idcircóne illam Phydiæ artificio nunquam e marmore efformatam fuiſſe diſſe remus? Diſtinctiones Liebleri quas ad tuendam æternitatis doctrinam commentus eſt, non poſſunt ſimilem diſtinguendi ſubtilitatem parere: ideóne eas Libleriana cogitatio non dicetur peperiſſe? Pari equidem differendi judicio æternitatem naturę Lieblerus informavit. Natura (inquit) jam conſtituta, nullam vim habet rei e nihilo producendæ: ideóque hęc ipſa natura non erat e nihilo a ſummo rerum moderatore aliquando conſtituta: quaſi divina potentia ſit e viribus jam procreatæ naturę æſtimanda. Quòd ſi rem omnem attentiſſima cogitatione & libertate judicii appendere voluiſſet, profectò admonere eum naturę illa rei e nihilo conflandæ imbecillitas potuiſſet, fuiſſe ipſam olim divinitus generatam.

Sed enim non modò in iſtis, ſed etiam in cęteris quę a Lieblero contra Ramum pro æternitate diſſeruntur, graviſſimè erratur. Dixit Plato motum in phyſicis cępiſſe rebus; cùm nullus antè extitiſſet. Ariſtoteles contrà diſputat: contendítque ex Platonis opinione ſequi, ut res mobilis motum antecedat: quia motus eſt entelechia mobilis quatenus mobile. Ramus cum alia Ariſtoteleæ ratiocinationis ſophiſmata animadvertiſſet, ait eiſdem veſtigiis concludi poſſe cœlum mobile antè fuiſſe quàm eſſet cœleſtis motus. Hîc Lieblerus com-

commovetur vehementius, adeo ut exclamet P. Ramum pro defenſione Chriſtianę religionis adverſus Ariſtotelicam æternitatem nihil eruditum, nihil dignum philoſopho Chriſtiano attuliſſe. De motus definitione non laborat. Quærit verò utrum pro Ariſtotelico a motus definitione argumento obtinere non poſſit, moveri nihil niſi quod moveri poſſit. Immò verò Lieblere ipſe motus ſimul cum facultate movendi rei mobili ingenerari poteſt. Veruntamẽ ſi placet pro Ariſtotelis argumento idipſum obtineto. Sit inquam facultas movendi prior ipſo motu. An inde ſequetur mobile antè fuiſſe quã eſſet motus? Homo creari potuit priuſquã crearetur: idcircóne homo ſuam ipſius creationem anteceſſit? Ex eadem judicii elegantia Liebleriānum conſectarium eſt. Non enim, quia mobile moveri potuit antequã actu moveretur, ideo mobile antè extitit quàm motus exiſteret. Deinde Rameo enthymemati Ariſtotelicis veſtiſtigiis concluſo quomodo reſpondet? Concedit eandem eſſe in utroq; ſyllogiſmo conſequentiæ vim: non tamen Ariſtotelẽ ſuo ipſius argumento plagã accepiſſe cõcedit. Accepit Lieblere graviſſimã, ſi utrobiq; parem ſyllogiſticæ diſpoſitionis neceſſitatẽ admiſeris. At ex hypotheſi (inquis) iſta diſputantur: ideóq; quæri adhuc poteſt fuerítne ſẽper cœlũ an cæperit. Enim verò inquam nihil ejuſmodi quæſtio vim argumenti enthymemate cõcluſi attingit: nihil intereſt ex hypotheſi diſputetur nécne. Ramus in Ariſtotelis ſyllogiſmo imbecillitatẽ cõſequẽtiæ e tã futili argumẽto cõtractã demõſtrat, quia ſimili judicio eodẽq; argumẽto concludi poteſt,

cœlum

Cœlum cœlesti motu prius fuisse & antiquius. Quòd si hæc Aristoteli nimis languida & infirma ratio videatur ad illud concludendum, cœlum nempe motu cœlesti prius esse : suam ipse nullius momenti esse judicet necesse est, qua concluditur mobile esse prius motu. Quin etiam quàm eleganter in cęteris Aristotelem Lieblerus tueatur attendite. Agitur utrum Movens & mobile aliquando extiterint absq; motu. negat Aristoteles : & sententiam luculentissimè demonstrat. Absurdum (inquit) iis qui rem diligentius attenderint, id esse videatur. Quid hoc aliud est quàm pro quęstionis illustratione ipsam quęstionem afferre ? Lieblerus ad Aristotelem crimine petiti principii liberādum ait Aristotelem non pueris scripsisse qui nihil intelligunt nisi res digito monstretur. Quo significari vult, Aristotelem rationibus ad arguendam quęstionem abundasse, sed quia clarissimæ essent & in omnium sensus incurrerent, ideo omisisse. Nunquam adhuc fuit petiti principii tam singularis elenchus, qui non possit tuę tam ridiculæ responsionis sophismate excusari. Vtinam Lieblere quiddam aliquando exquisitius consectarere : quod tamen in reliquis non assequeris. Ramus ad refellendū Aristotelis argumentum docuit primum Motorem, quam hodie vim movendi habet, eadē ab omni ęternitate instructum extitisse : ideóq; nulla ei mutatione opus fuisse, qua ad movendum idoneus redderetur. Quid Lieblerus ? cùm nulla adversus Ramum distinctio occurrit, ad Aristotelicæ sententiæ interpretationem aggreditur : & e sua interpretatione intelligi gloriatur, quàm ea

sint

sint nullius ponderis, quæ a Ramo proferuntur. Quæ est igitur Liebleriana Aristotelici argumenti explicatio? Constituto (inquit) primo motu alius illi necessario antecessit, quo motor antè quiescens factus est ad movendum aptus. Fit autem primus motor idoneus vel applicitus ad rem mobilem, vel remotis impedimentis, vel mutatus e priore consilio re aliqua nova objecta. Hæccine explicatio Rameæ disceptationis imbecillitatem arguit? immò verò Liebleri inscitiam convincit. Nam quid aliud a Lieblero hîc affertur, quàm id, quod est a Ramo jam refutatum? Lieblerus ait si primus motus detur, non fuisse in primo Motore æternam movendi potentiam, sed Motorem ad eam comparandam aliqua mutatione eguisse. Deinde rationem mutationis, qua ad movendum idoneus fit, interpretatur. Atquî verò hoc ipsum P. Ramus uberiore oratione refutavit: & primum Moventem infinitis ante conditum orbem sæculis eandem movendi potentiam obtinuisse, quam hodie obtinet demonstravit: adeo ut mutationem qua idoneus ad motum efficeretur, nullam desideraret. Deum in machina mundi coagmentanda nec longior distantia a re mobili cùm ubique sit, nec ulla impedimenta cùm infinitæ potentiæ sit, nec infirmitas consilii cùm sapientissimus & constantissimus sit, remorari potuit. Mitto Liebleriane partitionis elegantiam: in qua primum tertiumque membrum sub ambitu secundi comprehenditur. Nam cùm longior distantia a Mobili, tum ratio initi consilii, impedimenti rationem obtinet, quo minus fabrica mundi extrueretur. Glorietur jam Lieblerus

blerus è sua Aristotelici argumenti explicatione intelligi, quàm ea captiosa sint quæ a Ramo disseruntur. Ecce non dissimilem sapientiam ostentat, cum Ramea Aristotelici a tempore argumenti refutatione non contentus, accuratiorem nescio quam e suo ingenio deprompsisse videri vult. Ait non debuisse Aristotelem æternitatem motus per æternitatem temporis probare, sed contrà, æternitatem temporis per æternam motus rationem, cùm tempus sit accidens motionis. Si a nemine Aristotelica æternitas graviorem plagam quàm a Tubingensi isto acciperet, Cœli machina æternitatem suam ex Aristotelici ingenii subtilitate concluſam retinere ac tueri potuisset. Quid enim? annon cùm temporis natura sit ita cum motu conjuncta ut per motum definiatur minimèq; absque motu esse possit (ut lib. 4. phy. disserit Aristoteles) annon inquam si tempus æternum sit, motus æternus erit? certè verò. Ecce tempus Lieblero est quoddam accidens motionis: ideóne ex æternitate temporis non concludetur motus æternitas? Immò totum Lieblere contrà est. Nam si accidens subjecti alicujus æternum fuerit, ipsum subjectum æternũ esse necesse est. Quamobrem mirum videri non debet Lieblerum in veritate oppugnanda tam imbecillum esse, cùm in errore pervellendo tam frigidus sit.

Disputatio

Disputatio de Ethicis quibusdam ex *Aristotele*.

PHysicarum quæstionum explicatio hactenus producta sit: sequitur ut de Ethicis disseramus. de quibus verò? certè de Aristotelicæ virtutis origine: de Aristotelica mediocritate: de magnanimitate & magnificentia: de virtutibus in contemplando positis. Ac primùm de virtutis origine. Ethica beatæ vitæ disciplina sic ab Aristotele informata est, ut error potius longa oratione subtiliter contextus, quàm veritas acutè & enucleatè demonstrata videatur. Nam pro summo bono summa penè miseria: pro morum probitate, singularis impietas: pro eleganti præceptione, frigidę quæstiunculę altercatio descripta est. Quod mehercule mirum videri non debet. Qui enim est & in origine virtutis explicanda peregrinus, & in constituendis bonorum finibus inconcinnus, verisimile profectò est fore ut is in tradenda bene vivendi ratione potius umbram beatę vitæ persequatur, quàm eminentem effigiem consectetur. Quàm autem origo virtutis parũ accuratè disceptata sit, potest equidẽ primi capitis in secundo ethico disciplina illustre testimoniũ ethicę doctrinæ auditoribus exhibere. Quid enim? unde vult defluxisse virtutem Aristoteles? Virtus in duo membra sic est ab eo dispertita, aliã ut cogitationis sive intelligentię, aliã verò morum esse arbitretur. Illam ita comparatam natura esse dixerit, ut tota e præceptis & institutione doctrinæ efflorescat.

Dici certè vix potest, quantam disciplinæ labem Aristotelica illa virtutũ in contemplando positarum explicatio complectatur. Nullum illic accuratæ definitionis lumen: nullum exquisitæ partitionis ornamentum. Quàm est enim invenusta dianoeticæ virtutis in quinq; membra distributio? Quàm parum subtilis, immò quàm aliena & commentitia scientiæ, artis, intellectus, sapientiæ definitio? adeo ut contemplativę virtutis architectus in definienda scientia penè insciens, in explicanda arte parum artificiosus, in enodando intellectu minus intelligens, in tractanda sapientia non valde sapiens videatur. Quid quòd nullo judicio, nulla ratione vitam beatam in hisce contemplationis virtutibus reposuerit, cùm homines perditi & profligati animi possint esse arte, scientia, intellectu, sapientia instructissimi? Sed mitto ista: nam disceptatio contemplativæ virtutis deinceps instituetur. De ortu illius videte interim quàm non eruditè disseratur. Vt morum virtutes actionibus & consuetudine acquiruntur: sic virtus ad contemplationem sevocata, ortum a doctrina & incrementum habet, per herclè levis & jejuna distinctio: Siquidem earum utraque ita habet, haudquaquam ut aliquando comparetur, nisi accesserint ad illam unicuique delatam naturæ facultatem præcepta & usus, θεωρία & πρᾶξις. Potéstne quis artifex perfectus esse, nisi artis suæ præcepta ad usum revocaverit? faber fabricando: architectus ædificando: dialecticus disserendo fit. Prudentia pauciſſimis contenta documentis est: tota ferè manavit a frequenti usu & actionibus. Quid Aristotelea scientia quomodo

modo paritur? quomodo ſapientia? nõ præceptionibusmodò, ſed frequenti uſu. Similiter etiã morum virtutes Ariſtotelicę ad ortum ſuum & nativam mentis conformationem, & vim frequentiſſimę actionis, & doctrinę adjumenta deſyderant. Nam quorſum aliter ab Ariſtotele ethicæ diſciplinæ præcepta traduntur? annon ut eorum ope adjuti virtutes morales aſſequeremur? atque hinc illud eſt, quòd homines confirmatæ ætatis hujus tam elegantis diſciplinæ auditores eſſe velit. Quod neceſſe certè non eſſet, ſi conſuetudine ſola & actione animus ad virtutem inſtitui potuiſſet. Quin & hinc illud eſt quod ad percipiendam artis diviniſſimæ doctrinam vocemur: ut nimirum mens ſapientiſſimis exculta præceptis ad ſanctitatem vitę cõformetur. Ac proinde iſta tam bella virtutum diſtinctio non tam ingenii acumen indicat, quã inopiam judicii demonſtrat. Verumenimverò ethicæ virtutis origo uberius a philoſopho diſceptatur. Morum virtutes (inquit) aut ex natura, aut ex conſuetudine & actionibus oriuntur. Immò verò philoſophe, ſi mentem ac cogitationem, diligenter attenderis, diſjunctionis hujuſce ratio lubrica eſt, non autem conſtans: precaria ſit ſi placeat, mihi certè nunquam erit neceſſaria. Quid igitur (inquies) annon virtutes morales a frequenti uſu & actione proficiſcuntur? In eo certè doceri cupio, ſdque non authoritatis pondere, ſed momentis rationum. An ergo ulla virtutum moralium tributa nobis a natura eſt? Non audeo profectò, nulla interpoſita exceptione, dicere: cùm illi opinioni & ſumma ratio, & Ariſtotelis authoritas refragetur.

tur. Sed tamen istam de virtutis e natura ortu controversiam a peripateticorum principe prudenter judicatam esse nego. Vt verò quæ dico, apertius demonstrentur: in rem præsentem, si libet, Aristotelis judicium retexendo veniamus. Virtus (inquit philosophus) nobis natura non est insita: audio sanè quid dicatur. Sed & argumenta, quibus tanta controversia addicitur, audire cupio: atque id eo magis, quod Platoni divinissimo homini hac in quæstione vehementius adversetur. Quid igitur contra Platonicam virtutis originem affertur? illud sanè affertur; Res natura constantes mutari non posse & aliter assuefieri: id autem in virtute falsum deprehendi: ideóque virtutem a natura hominibus ingeneratam non esse. Platoni equidem propositio Aristotelici syllogismi minus legitima & consentanea videretur: ac proinde acriter instaret res aliquas quasi e naturæ seminario profluxisse, quæ tamen mutari & corrigi possunt: ut agrorum sterilitas, & feracitas: illa frequenti cultura corrigitur, hęc neglectu & inscitia colendi deperditur. Quid tam naturale in plantis, quám ut earum nonnullæ sarmentis sylvescant, & nimia ubertate efflorescant? attamen naturalis illa luxuries arte diligentis agricolæ depascitur. Soli dispar ratio disparem in plantis naturam sæpiusculè parit. Quis non videt in monstris naturæ cursum aliquando interrumpi? Cui ignotum est aves natura ad sermonem ineptas, usu tamen & consuetudine ad loquendum institui? Quid annon in hominibus naturæ ratio mutata est sæpissimè? Erat naturâ Socrates bardus & depra-

pravatus : Demosthenes balbus & hæsitans : multi etiam affectis corporibus : ecce tamen sese inflexit natura, & mutari passa est. Quin & in hoc Aristoteles Aristoteli repugnabit. Affectus enim ait hominibus inesse natura: eósque consuetudine aliter posse assuefieri. Quare ista adhuc ratio non impedit quominus natura virtutem videatur peperisse. Nam quod ad propositionis illustrationem & assumptionis sententiam attinet, in utraque certè magister Plato discipuli judicium requiret sui. Non enim quod in specie concluditur id de universo genere concludi par est: ac proinde si ignis & lapidum natura eandē in motu vim semper retineat, non consequetur tamen, illud omni naturæ ut conveniat. Deinde tantam esse affirmabit virtutis majestatem, ut nunquam convelli, tantum splendorem, ut nunquam extingui, tantam firmitatem, ut nunquam permutari queat. Agedum si natura homines virtutum ornamentis non instruxerit, ecquid virtus eisdem præter naturam ingenerata est? Immò (inquit Aristoteles) neque natura, neque præter naturam nobis virtutes innascuntur. Ad eas enim suscipiendas apti sumus natura; perficimur autem perpolimúrque more ac consuetudine. Ecce Aristotelis judicio virtus partim inest naturâ: partim consuetudine acquiritur: perfectio & absolutio virtutis profluit a consuetudine & actione: at virtutum semina nobis innata sunt: illarum prima quasi ætas, & prima initia sunt a natura. Quod philosophum fortasse impulit, ut sexto libro

virtutes naturales perſequeretur. Sed utinam Ariſtoteles vel iſta omnino non protuliſſet, vel prolata ſtatim reſelliſſet. Cauſæ enim illius tantum abeſt ut ſuffragari poſſint: ut contrà potius eidem refragentur. Nam ſi iſta verè dicuntur, verum certè erit virtutes eſſe e ſtirpe naturæ propagatas: conſuetudine verò augeri duntaxat & limari politius. Sed enim pergit philoſophus, & vehementius adhuc contendit ut virtutem a natura ſejungat. Quæ nobis (inquit) a natura tribuuntur, eorum poteſtates antè accipimus quàm muneris functionem obimus. At virtutis poteſtatem non antè in nobis habemus quàm ad agendum accedimus: ſed virtutis muneribus functi, tum demum virtutes conſequimur. Ex quo fit virtutes non eſſe in nobis natas. Quid huic ſyllogiſmo Platonem arbitramur reſponſurum eſſe. Annon & propoſitioni crimen falſitatis intenderet, & in aſſumptione Ariſtotelem a decretis ſuis deſciviſſe convinceret? Natura ſiquidem quibuſdam rebus ſimul cum ſubſtantiæ abſolutione actum tribuit & ingeneravit. Anima non antè poteſtatem animandi vitæq; præſtandæ accepit, quàm actum. Aqua non antè poteſtate humectandi prædita eſt, quàm actum exercere potuit. Sic calor ineſt igni natura: ignis autem non prius caloris poteſtatem, quàm actum habuit. Non hercle fingi poteſt tempus, quo fuit calefaciendi actus ab igne ſejunctus. Propoſitio igitur ſophiſmatis convicta eſt. Quin & aſſumptio ſi ad Ariſtotelicam gignendæ virtutis ethicam exigatur, conſimili elencho ſophiſtica eſt. Etenim Ariſtoteles paulo antè poteſtatem quandam homi-

hominibus naturæ beneficio delatam esse adipiscendæ virtutis differebat. Nam oratio illa quid aliud sonat? esse nos videlicet ad suscipiendas virtutes aptos natura, perfici autem & perpoliri more ac consuetudine: quid (inquam) aliud vult, nisi illud, perfectionem virtutis a frequenti usu, potestatem ejusdem obtinendæ a natura proficisci. Nos igitur virtutis comparandę potestate natura antè instruxit, quàm virtutis munera obire poterimus. Sed assumptionis sententia prosyllogismo a similibus exornata est. Eadem est (inquit) artis & virtutis acquirendæ ratio: Ars autem exercitatione & usu acquiritur. Amplector mehercule suavitatem Aristotelei acuminis. Possunt enim peripatetici sophistę hinc admoneri longè alium esse artis cujuslibet usum, quàm puerilem illam & jejunam de artium præceptis altercationem, vult Aristoteles artis præcepta ad usum & praxin traduci, ut inde artifices evadamus. Architectus (inquit) fit ædificando non de theorematis architecturæ altercando: fidicen canendo, non de musicæ documentis clamando & rixando. Verumenimverò similitudo ista quorsum adhibetur? annon ad originem virtutis illustrandam? sanè verò. Age igitur: annon potestatem artis asciscendæ prius natura homini concessit, quàm artis suæ munere defungi potest? Nemo ita affecti cerebri est, qui non intelligit naturam ita liberalem & propitiam extitisse, ut hominem pręclara facultate & variis adjumentis ad artem percipiendam exornaverit. Si igitur artis & virtutis similis in ortu ratio est; antè

habere nos facultatem consequendi virtutem necesse est, quàm virtuti convenienter agamus. Vnde fit ut ab eadem similitudine Aristotelis ratio eludatur, a qua magnam vim sibi contra Platonem comparatam existimavit. Immò Aristotelici ingenii conatus magis adhuc elusus videbitur, si in arte & virtute disparem valdéque dissimilem originis formam demonstremus. Certum est artem partim naturæ vi, partim eleganti præceptionum ratione & usu acquiri. Neque obscurum est, virtutem non esse natam nobiscum, sed aliunde accersitam, non domesticam esse & vernaculam, sed peregrinam & cælestem: non haustam a natura, non ascitam frequenti actione, sed delibatam divinitus. Aliis igitur argumentis ad virtutem e naturæ seminario vindicandam opus est: cùm in istis conatus duntaxat appareat, non eventus: adumbratio quædam non perfectio. At vereor hercle ne eandem planè vim, aut certè remissiorem cætera argumenta secum allatura sint. Nã quo fato fieri dicam nescio, quoties cum Platone Aristoteles in certamen descendit (descendit profectò sæpissimè) toties non tam Platonem acie perstringit acutissimæ rationis, quàm sibi cùm artem feriendi adversarii tum vires & lacertos abesse demonstrat. Veruntamen de tantæ dimicationis eventu bene speremus. Quã itaq; in proximo congressu strenuè decertatur? Si virtus (inquit) nobis ineesset natura, legumlatores assuefaciendis ad virtutem civibus operam non darent. at id summo studio semper contendunt: ea legum mens est: ea voluntas & ratio: ut cives eminentem honestatis imaginem consectantes

ad

ad decus & virtutem conformentur. Ista certè amentata hasta est, & ad speciem contorta eleganter, si ad superiora tela conferatur: attamen hujusmodi est quæ plagã non cladem, vulnus non victoriam affert. Equidem legum ferendarum ratio ad coërcendam libidinem susceptа prudenter, & ad amplificandam virtutis dignitatem instituta præclarè, magno argumento esse potest virtutem ferè a disciplina & institutione proficisci. sed vidésne minutissimas scintillas cineribus coopertas ventilationis vi augeri & in flammam excrescere, non autem susci pi tum & generari? Vidésne etiam minusculas plantarum fibras si ars diligentis agricolæ accesserit, propagari potius & postquam efflorue rint frequenti cultura conservari, quàm proseminari & enasci? Sic herclè leges non ad serendas virtutes in hominũ animis, sed ad eas a natura satas diligẽter excolendas & quasi ad florẽ eliciẽdas descriptæ sunt. Ac proinde Plato, si me audierit, legũ authoritate & mente permot⁹ Aristoteli discipulo de perfectione virtutis assentietur, nõ esse eam hominibus a natura tributã, sed tolli idcirco igniculos virtutũ & summã illã naturæ ad honestatẽ & decus propensionẽ vehementius pernegabit. Non enim legum disciplina magis arguit nullã virtutis partẽ esse a natura inchoatã, quã aut ventilatio nullam cinerib⁹ scintillã subesse, aut nullas fibras suapte natura sese e complexu terrę ejecisse, agricolæ diligentia. Quocirca uteũq; fortiter pugnatũ sit a philosopho; certè nõ satis adhuc fæliciter. Verũtamẽ Aristoteles ita μεγαλοψυχος est ut nõdũ cedẽdũ putet, nõdũ hastas abjiciẽdas esse, ideóq; adhuc ar-

argumento recenti,& nuper nato præliatur, ſed conſimili eventu. Vult enim ex eiſdem rebus virtutem naſci per quas interit. An ſi telum iſtud Plato retorſerit, non Ariſtotelem egregiè digladiatum eſſe contendetis? Ego certè pro Platone aſſumam virtutem ſumma illa naturæ ad honeſtatem propenſione ſublata interire. Si quærerem jam a Platonis diſcipulo, quænam eſſe debeat hujus ſyllogiſmi complexio, credo equidem pudore ſuffuſus reticeret. Concluderetur enim ex illa naturæ ad honeſtatem propenſione virtutem efflorescere. At illud Ariſtoteles ferre non poteſt, id repudiat, id pervellit. Verumenimvero ex illa tam concinna propoſitione quę tandem concluſio ab ethico philoſopho derivetur, perpendamus. Per quas res (inquit) interit virtus, ex eiſdem naſcitur. Per actiones interit. Itaq; ex actionibus naſcitur. Atquî verò (moraliũ elegantiarũ architecte) ſyllogiſmi antecedens planè Ariſtotelica eſt & tua, id eſt, fallax,& diſtincta ſophiſmatis. Propoſitio quàm eſt aliena a communi ſenſu? Túne procreantes virtutum cauſas cum perimentibus eaſdem eſſe ſtatuis? Ego certè cùm ortum interitui opponi, & utriuſq; naturã inter ſe acriter diſſidere videam, non intelligo cur utriuſq; cauſæ eędem potius dicendæ ſint, quàm repugnãtes,& adverſæ. Quid an quę cauſæ humanæ naturę perimendæ vim habent, illæ etiam ejuſdem procreandę facultatem acceperunt? affectæ valetudinis acerbitas, epoti veneni tabes, & multiplices fortunæ caſus hominem de medio tollunt: at generari ab hiſce haudquaquam poteſt. Sic in coagmentanda virtute ac diſſipanda non diſſimilis

ratio

ratio est. Sed videor videre mihi aliquem e Lycæo peripateticum, qui me in propositione Aristotelici syllogismi refellenda quasi dormitantem & hallucinantem velit coarguere. Dicet enim per res genere easdem interire, & nasci virtutem. Nullæ ferè res ita sunt aliq ab aliis infesto odio dissidentes, quin redire in gratiam hac tam generali distinctione possint facilimé. Verùm dic mihi, acutissime peripatetice, e quibus causis interire virtutem dicemus? Me si audieris, statuemus a pravitate mentis nostrę virtutis & splendorem obscurari, & labefactari naturam. Dic etiam à qua tandem re virtutem procreari censes? Ego authorem ac principem universæ virtutis Deum Opt. Max. pono. Dic jam tertiò, nisi molestum est, utrum mentis nostræ pravitas, & prępotens Deus genere conveniant, dic, inquam, istud re probata, & Phyllida solus habeto. Deinde qualis est illa assumptio? Aristoteles vult in acquirenda virtute consuetudinem, vim naturæ, ethicæ præceptionis intelligentiam concurrere. Ac proinde ad interitum virtutis facit non solùm desuetudo & actionum perversitas, sed etiam debilitas depravatióque naturæ, & moralis disciplinæ oblivio. Videtis jam quàm parum acutè a philosopho concluſum sit, virtutem non e complexu naturæ sese diffudisse, sed a solis actionibus manavisse. Quin & illud videte quàm inscitè de mediocritate philosophetur. Agite, virtutis natura nõ satis rectè Aristotelica mediocritate definitur. Quid ita? quia ab ethicę disciplinæ magistro allata sunt ad constituendam mediocritatis dignitatem leviusculę rationes, subtili-

tates

tates inconcinnę, fractæ & vacillantes conclusiunculæ. Ac ne calumniã potius Aristoteli fraudulenter intendisse, quã verũ crimen objecisse videar, retexẽda mihi est Aristotelici judicii sapientia: explicãda argumentorũ series: evolvẽda in singulorũ tractatione dianoia: deniq; quæcunq; sunt in Aristotelicam mediocritatis disciplinam latenter congestæ elegantiæ, eæ denudãdæ mihi & propalam collocandæ. Quid ergo a peripateticis pro mediocritate affertur? Aristoteles tanq̃ in concione suasionem elegantissimæ legis promulgaret, ad excitandos ethicę doctrinæ auditores magnificum quoddã & luculentum axioma proponit. In omni re (inquit) continente ac dividua plus, minus, æquale reperiuntur. Atque hoc illud est Aristoteleæ mediocritatis tam insigne fundamentum: sed quorsum obsecro substructum & institutum? Zuingerus præstanti vir ingenio, & quem in explicando Aristotele facilè principem ponimus, axiomati isti succurrendum putavit, ne in hunc locum videatur non tam necessariò venisse, quàm frustra irruisse. Quandam itaque hypothesin, quæ est ab Aristotele & prætermissa consultò & artificiosè occultata, intelligendam esse monet. Ac proinde cùm in omni re dividua & continenti plus, minus, æquale inesse disseritur, assumit pro Aristotele Zuingerus, omnes hominum affectus & actiones ethicas esse continentes ac dividuas. Vnde illud efficitur, in omnibus hominum affectibus & actionibus plus, minus, æquale reperiri. Assumptio ne apud homines non satis intelligentes & doctos in crimen incurrat ementitæ novitatis, est a Zuingero subtilius explicata

plicata & illustrata uberius. Contēdit igitur affectus omnes & actiones ad continuā quantitatē referri, & esse nō per se, sed motus ac tēporis ratione dividuas. Nā cùm affectus quilibet vim secū afferat animi permovendi, & omnis actio, ut quæ in motuū numero reponenda sit, tēpore suscipiatur: profectò quę motui ac tēpori tribuenda sūt, ea Zuingerus in affectus & actiones cōvenire opinatur. Atqui verò (acutissime Zuingere) aliud in propositione syllogismi hujus exprimitur: aliud quippiā in assumptione nō satis prudenter cōplecteris. Propositio de re per se dividua & continua perdiserte loquitur. Assūptio id nobis obtrudit, quod nō sua natura, sed rei alterius ratione divisionem subit. Non satis igitur ista acutè disseruntur. Sed agite, attendamus adhuc quid dicatur. Vult pro Aristotele Zuingerus hominū affectiones singulas actionésq; ratione motus & temporis in rerū continuarū dividuarumq; numero percenseri. Quod si tēpus & motus ad classē possint continuę quantitatis nullo modo revocari, quid tandem huic tam eleganti assumptioni fiet? In qua affectibus & actionibus dividua natura attribuitur, ratione illius, quod particeps continuitatis & divisionis esse nequeat. Si quis diceret humani corporis effigiem sub videndi sensū propter adjunctā agilitatē cadere: ecquis tam insciтè & aniliter disserentē ferre potuisset? nā agilitas neq; vim lucis obtinet, & est e genere a colorum generibus dissidente. Non absimilem disserendi elegantiam consectatur, qui actiones affectusque animi propter motus ac temporis rationem natura esse continenti & dividua argutatur. Motus enim tempúsque etsi ab Aristotele in quantitate continua

velut

velut in tribu ſua collocentur, nulla tamen illis cum quantitate continua cognatio intercedit. Cenſore igitur opus eſt, qui motum & tempus cùm inquilini, non cives ſunt, de tribu moneat Ariſtotelicæ quantitatis. Sed concedamus, ſi placet, mentis affectiones illas eſſe motus & temporis ratione dividuas: quid hinc demum conſequetur? certè illud in affectibus nempe & actionibus plus, minus, æquale non ſua natura ſed adventitia vi, non per ſe, ſed per aliud ineſſe. Quod hercle ſi admiſerimus, quid mediocritati illi tantopere a peripateticis decantatæ eventurum eſt? illa enim affectibus & actionibus non ſuo jure, ſed alieno, non propria facultate, ſed aliunde accerſita, non vi naturæ ſuæ, ſed fortuitò inſidebit: adeo ut vacillare eam & quicquid habet ſplendoris celeriter amittere neceſſe ſit. Sin verò motum & tempus de ſede quantitatis continuæ omninò depellamus, & affectibus conſimiliter omnem dividuæ naturæ rationem detrahamus: ubi demum conſiſtet mediocritas? quo ſe recipiet? equidem e mentis humanæ affectionibus excluſa jam ac profligata locum in quo ſeſe cum applauſu populari diutius venditet, non reperiet. Videtis jam Ariſtoteleæ ad conſtituendam mediocritatem demonſtrationis fundamentum quaſi impetu veriſſimæ rationis labefactatum cõcidiſſe. Non eſt jam de reliqua coagmentatione vehementius laborandum, eſt ea tamen ad ſpeciem inſtructa pulcherrimè: adeo ut hominum animis vel præjudicio occupatis, vel rerum ignoratione irretitis mirificam opinionem commoveat excellentiſſimæ in mediocritate dignitatis.

Sin

Sin verò in illam Aristotelicam constitutæ mediocritatis fabricam intueri paulò quis velit diligentius: facilè perspiciet esse eam magis elegantem quàm firmam & effictam, potius ad ostentationem subtilitatis quàm ad veritatem disciplinæ. Agite igitur, Aristotelem adhuc de mediocritate philosophantem audiamus. Quid ergo ad confirmandam mediocritatem adhibetur? quàm prudenter & accuratè disseritur? quàm eleganter & nervosè concluditur? Quod (inquit) ab eo quod nimium parúmve est corrumpitur & perimitur, id a mediocritate ortum & incrementum habet. At virtus ab eo quod nimium parúmve est corrumpitur & perimitur. Virtus igitur a mediocritate ortum & incrementum habet. Disseruntur ista acutè, non nego: verùm in hac thesi non acumen modò Aristotelis, sed multo magis judicii accurationem desidero. Propositio syllogismi per mihi infirma videtur ac lubrica. Nam corporeæ sanitatis, quam infantuli secum in lucem afferunt, ea ratio est, ut esculentis & plus nimio redundantibus dilipetur, & eisdem multò quàm convenit parcioribus deperdatur: non tamen eandem adhibita in libandis esculentis moderatio dicetur peperisse: nisi fortè quis sit ita affecti ingenii, neminem ut putet a natura corpus integrum & sanum accepisse. Quid quod videndi facultas nimis excellenti splendore obtundatur vehementius & perimatur? Et tamen videndi facultas illa a natura profecta est, non autem a moderato splendore generata. Quid? assumptio cujusmodi est? Virtus inquit ab eo

quod nimium parúmve est labefactatur & convellitur. Quid audio? Virtúsne a vitio frangetur & expugnabitur? Qui id confidenter affirmat, nescit profectò quantum sit in virtute roboris & nervorum, quantum splendoris & excellentiæ. Nulla est mentis humanæ tam insignis depravatio, nulla tam perdita & profligata cupiditas, quam virtus coërcere & resecare non possit: adeo ut qui maturitatem virtutis assecutus sit, in eo sint affectiones singulæ non refractariæ ac turbulentæ, sed compressæ & edomitæ. Vbi jam sunt, qui dicunt a vitio debilitari virtutem & everti? Si ab illis sciscitarer puténtne a stultitia lumen sapientiæ, a timiditate majestatem fortitudinis, ab intemperantia temperantissimi animi gravitatem obrui posse & superari? reclamarent sine dubio & in virtute majorem vim inesse ad retundendam pravitatem, quàm in pravitate ad convellendam virtutem faterentur. Qui secus opinantur, spoliant virtutem decore suo, valdéque imbecillam reddunt. Quare cùm antecedentis pars utraque in propositione & assumptione non parum longè a veritate dissideat, quî possumus Aristoteli de complexione assentiri? Sed detur, si placet, virtutem ab eo quod nimium parúmve est corrumpi, & a mediocritate ortum ac incrementum accipere. Quid? An ideo virtus existet mediocritas? Si dicimus, fateamur effectum quodvis in efficientis naturam & nomen concessisse. Si hoc minus consentaneum

um videatur, dicamus virtutem non quia a mediocritate procreetur & conſervetur, eſſe idcirco mediocritatem. Robur moderata exercitatione corpori ingeneratur, & etiam augetur: Robur tamen non eſt exercitationis moderatio. Nam de ſimilitudine illa, quę ad illuſtrandam virtutis e mediocritate originem affertur, quid dicam? Diſſerit Ariſtoteles ut ſanitatem quadam in victu moderatione, ſic virtutem mediocritate generari, ac generatam confirmari. Immò verò (philoſophe præſtantiſſime) virtus & ſanitas valde diſparem in ortu rationem ſortiuntur. Alio modo id oritur & conſervatur, quod eſt alicui ſubjecto nativum & congenitum: alio autem id quod rei ſubjectæ aliunde advenit. Ac cùm origo corporis animíque diſſimilis ſit, cur non utriuſque adjuncta diſſimilem habebunt ortus ſui & incrementi formam? Præterea quantum corpori animus antecellit, tanto ab excellentiore ortus ratione animi bona quàm corporis proficiſci debent. Non igitur ſi corporis bona e ſymmetria qualitatum & quadam mediocritate oriantur, bona etiam animi e pari mediocritate originem ducent ſuam. Illa talem in ortu ſuo & incremento temperationem deſyderant, quia membrorum in corpore compoſitio æquabili qualitatum permiſtione nititur. Hæc cùm animi conſtitutio hujuſce e qualitatum convenientia temperaturę expers ſit, mediocritate aliqua, unde oriantur & orta ampliſicentur, opus non habent.

Porrò cujus ſubjectum vel infringit ὑπερβολὴ vel ἔλλειψις debilitat, mirum videri non debet, ſi illius adjuncta contineat & tueatur mediocritas. At verò animus rerum exceſſu aut defectu non communitur, non diſpergitur, non conſeneſcit: niſi id illi ratione inſtrumentorum, per quæ vim exercet ſuam, velimus attribuere. Nondum itaque iſta de mediocritate quæſtio ſatis eſt ab Ariſtotele logicè & ſapienter judicata. Ecquæ præterea ad definiendam mediocritate virtutem rationes ſunt? Sanè verò nonnullæ: eęque profectò non invenuſtæ. Si omnis ſcientia (inquit Ariſtoteles) mediocritatem ſibi proponit, ad eámque opera ſua dirigit, virtus quoque, quæ omni arte limatior eſt ac præſtantior, mediocritatem ſpectabit ac velut collineando petet. At omnis ſcientia mediocritatem ſibi proponit, & ad eam opus ſuum dirigit. Itaque & virtus. Attendite mecum parumper, quanta ſit hujus ſyllogiſmi concinnitas. Equidem propoſitionis conſequentia jejunam ſubtilitatem, non ſummum illud peripatetici philoſophi acumen redolet. Virtus eſt longiſſimè cuilibet præferenda diſciplinæ: & eſt in utroque mirifica naturæ diſcrepantia. Non ſequetur ideircò, ut quod in rem non ita magni pretii convenit, id etiam rei conveniat præſtantiſſimæ. Senſus id ſpectat quod præſens eſt: ideóne conſequens erit, ut mens etiam quæ ſenſum dignitate vincit, ad res præſentes alligetur? Sed enim quid illud tandem eſt quod virtus dicatur mediocritatem velut collineando petere? Secundi libri qui de ethica diſciplina inſcribi-

tur

tur quinto capite virtus dicitur esse mediocritas: dicitur in perturbationibus & actionibus versari in quibus est mediocritas: dicitur etiam mediocritas pertinere ad virtutem: & libri ejusdem secundo capite mediocritas efficitur procreans & conservans causa virtutis: sexto autem capite virtus dicitur posita in ea mediocritate quæ ad nos est: dicitur medium invenire & sequi: quin & in enumeratione singularum virtutum septimo capite ab Aristotele instituta unamquamque virtutem esse mediocritatem sæpissimè iteratur. Quemnam potissimùm e tam multis Aristotelibus Aristotelem audiemus? potéstne virtus esse mediocritas, ac tamen proponere sibi & collineando petere mediocritatem? Potéstne virtus esse mediocritas, & tamen procreari a mediocritate ac conservari? potéstne virtus esse mediocritas, cùm tamen mediocritas tantummodo pertineat ad virtutem? Potéstne virtus esse mediocritas, cùm tamen mediocritatem inveniat & sequatur? Mediocritatem peripatetici virtutis formam esse contendunt: in quo non dissentiunt illi quidem a magistro Aristotele. Vult enim ut habitu frequentibus actionibus acquisito, materiam virtutis, sic mediocritate formam virtutis comprehendi. 6. capite libri 2. (Ait enim virtutem esse mediocritatem ex sua essentia & ratione: quę quid sit res declarat) Atquî verò mirificam hîc Aristotelicæ disciplinæ sapientiam attendite. Si mediocritas sit forma virtutis, cur de virtute tanquam genus enuntiatur? Cur virtus formam suam quasi scopum aliquem sibi ad petendum proponit,

ponit, suásque ad eam actiones dirigit? an a forma sua virtus sejungi aliquando potest? preterea an formam rei formatæ causam effici entem dicemus? At Aristoteli in mediocritate vim aliquam inesse placet virtutis procreandæ. Ex quo illud emergit formam non ab alia effectrice rei formatæ ingeneratam esse, sed ipsam a sese formato effecto implicatam. Porrò ecquid forma duntaxat pertinet ad formatum? Mediocritas certè ab Aristotele ad virtutem pertinere dicitur. Vtrum etiam forma tale quiddam erit, in quo formatum inest? At virtus inest in mediocritate. Dicamus igitur hominem in anima ratiocinante inesse. Deinde an res formata formam persequi & invenire solet? Virtus hercle in invenienda mediocritate & persequenda authore Aristotele sita est. Denique virtutes in mediocritate velut in subjecto occupatæ sunt. Deus bone, ubi Aristotelis judicium illud alioqui divinum & singulare? Nunquid fieri aliquando potest, ut eadē numero mediocritas sit & forma virtutis, & genus virtutis, & efficiens virtutis, & subjectum virtutis & virtutis adjunctum? O multiplicem & tortuosam mediocritatis naturam. Proteus mehercule sese in totidem species nunquam transtulerit. Verùm pergamus adhuc: propositio Aristotelici syllogismi satis exagitata est: illius delicias satis excussimus. Assumptionem itaque videamus. Scientia (inquit) mediocritatem sibi proponit, suáque ad eam opera perpetuò dirigit. Quod hercle pervagato proverbio ab Aristotele illustratur. Dici enim solet ad laudem

laudem facti operis, ei nec detrahi posse quicquam nec addi. Quis non dixerit Aristotelem nimis magno studio ferri virtutis ad mediocritatem alligandæ? Inepta sane fit ars, si qua nimiæ perfectionis metu in operis præstantia & splendore mediocritatem consectetur. Quo propius ad summum in bonis & perfectissimum acceditur, eo laus amplior est & illustrior. Atque hoc illud est quod cuilibet artifici in operis sui expolitione proponitur, non ut in opere concinnando præstantiæ & perfectioni modum statuat, sed ut opus omnibus absolutum perfectúmque numeris efficiat. Proverbium verò illud videte quàm eleganter ethicæ mediocritati suffragetur. Aristoteleæ fœlicitati nihil ad amplificandam illius excellentiam addi detrahive potest, si peripateticos audiamus: tamen nemo e peripateticis Aristoteleam fœlicitatem in mediocritate sitam esse dixerit. Cœlum Aristoteli est corpus & magnitudine penè immensum, & dignitate præstantissimum: nihil igitur cœlo vel accedere vel adimi potest, quo majus perfectiúsve existat. Videmus igitur adagium istud non minus in ea quæ omni perfectionis splendore excellunt, quàm in ea quæ aliqua continentur mediocritate convenire. Veruntamen ista omnia, si lubet, tanquam verissima Aristoteles obtineto. Quid hinc demum concludetur? Si concluserit virtutem idcirco sibi mediocritatem habere propositam ad quam consilia sua actionésque revocet,

concludit mediocritatem non esse formam virtutis. Sin verò concluserit quia scientia mediocritatem sibi in opere fabricando proponit, ideóque formam virtutis mediocritate contineri, novam hercle & inauditam consequentiam affert. Potest enim consimili syllogisticæ dispositionis judicio concludi, formam hominis quadam mediocritate comprehendi. Verumenimvero mediocritas Aristoteli plurimum debet, ut qui eam pluribus adhuc argumentorum præsidiis sepire aggrediatur. Spectemus itaque quàm id strenuè scienterque faciat. In perturbationibus (inquit) & actionibus reperiuntur extrema duo & medium. Virtus in perturbationibus & actionibus sita est. Virtus igitur circa medium & extrema versatur. Hæc est Zuingeriana pro Aristotelea mediocritate analysis, quam sequi modò si velimus, necesse est ut in ethico philosopho logicam texendi syllogismi prudentiam desyderemus. Sed remittatur istud: sit in syllogismo isto legitimæ conclusionis elegantia. Quid? an demonstratio propositæ quæstionis est enucleatè & subtiliter informata? Quæritur an virtus sit mediocritas. Aristoteles non formam virtutis in mediocritate positam, sed virtutem in persequenda mediocritate sitam esse concluſit. Sed quando tandem thesis ista conficietur? Quin luculenter demonstrat Aristoteles quod instituit? Multa ad gloriam mediocritatis peracutè differuit, sed nescio quo modo ad pompam magis quàm ad pugnam: adeo ut mihi in mediocritatis causa prævaricari inter-

terdum videatur. At fortasse in reliquis accuratior aliquanto & limatior est. Quid ergo est quod mediocritatem & oppugnatam tueatur & sustineat collabentem? Virtus (inquit Aristoteles) in perturbationibus actionibúsque mediocritatem petit ac destinat. Virtus itaque est mediocritas. O singulare acumen & judicium. Quod si quis adversus Aristotelem ita dissereret: Socrates in consectanda mediocritate versatur: Socrates itaque est mediocritas: eequid ferre Aristoteles tam delicatam consequentiam potuisset? Succenseret herclè & de accuratiore disserendi ratione commoneret. At verò Aristotelicę cogitationes persimilem conclusionis festivitatem pepererunt. Sed quid deinceps disseretur? ecce in promptu est Aristotelea magnanimitas, virtus illa quidem non una e multis, sed cui inter cęteras omnes Aristotelici principatum detulerunt. Recténe id fecerint videamus. Magnanimitas (inquit Aristoteles) est virtus, qua sese quis ex merito magnis honoribus dignum existimat. Vt vis hujus definitionis intelligi possit, eam in membra quædam distinguemus: quorum alterum tractationem honoris illius, quo magnanimus meritissimo dignus est: alterum explicationem opinionis in eodem heroë de seipso prorsus magnificę complectetur. De honore sic agemus, ut quibus rebus magnanimus tam amplos honores mereatur disquiramus. Age igitur. Quam tandem honoris demerendi viam secutus est? Num ei ad honorem ulla dicendi facultas suffragata est? num studium philosophiæ? num cæterarum artium gloria? Etsi magnanimus a philosopho Aristotele,

tele, cui omnis ferè disciplina percepta fuit, apparatum & ornamenta accepit, tamen est in peripatetico Lycæo nullis artibus, nullo philosophię genere institutus. Quod si igitur scientiarum cognitio non fecit, ut tantos honores mereretur, ob quæ tandem ornandus est? quam honoris commerendi rationem inivit? fortasse virtutum ornamentis antecellit: ideóque omni honorum magnificentia ex merito decorandus. Dic itaque subtilissime peripatetice: quid egit magnanimus præclari, ut idcirco tantos sibi honores meritissimo vendicaret? An se hostium telis invicto animo objecit, patriámque gravissimis periculis liberavit? at propter istud tam egregium facinus, si honores promeretur, id fit non splendore magnanimitatis, sed fortitudinis dignitate. An διανεμητικὸς in præmiis, & διορθωτικὸς in contractibus existit? at si quis ista muneris functione decus & amplitudinem conciliet, id justitiæ tribuendum est. An verò honoribus ideo se dignum existimat, quia laude prudentiæ valet? at hoc est non in magnanimitate, sed in alia virtute honoris amplitudinem quærere. Vtrum itaq; magnanimus sumptuũ magnificẽtia, ostentẽda, aliorũ afflictæ fortunæ benignissimè succurrendo, effrænatas corporis voluptates ad mediocritatem revocando honoris dignitatem assequitur? at prima laus est magnificentiæ: secunda liberalitatis: tertia temperantiæ. Nihil hîc Aristoteleæ magnanimitatis proprium est: nihil non e cęterarum virtutum actionibus profectum. Quid ergo illud est, unde honores demeretur? ecquid ideo honores mereri dicetur, quia se illis ex merito dignissi-

gnissimum esse putat? Non placet de Aristotelico magnanimo quiddam tam futile augurari. Sed ecce, video apud Aristotelem illustre in hāc sententiam argumentum, idque syllogismi judicio concluſum. Magnanimus (inquit) non est stolidus: Itaque magnis honoribus sese ex merito dignum esse judicat. Bono animo estote quicunque non estis stolidi. Nihil enim obstat quominus splendorem Aristoteleæ magnanimitatis consequamini. Atquî verò ethice philosophe, num superbiæ & stoliditatis vacuitas eam in hominum animis opinionem inserit, ut sese maximis honoribus dignissimos esse putent? Immò verò qui stoliditate delirat & elatione mentis insolescit, is cùm ad expetendos honores animo & cogitatione excubat, tum eos sibi meritissimò deberi opinatur. Verùm pergamus adhuc & rationem demeriti honoris disceptemus. Videtur (inquit Aristoteles) animi magnitudo quoddam esse cæterarum virtutum ornamentum: quia & eas facit ampliores, & sine illis constare nullo modo potest. Atque hinc peripateticus fortasse aliquis concluserit, idcirco magnanimū ex merito sibi magnos honores ascisscere. elegantiā consequētiæ mittamus: de antecedēte cogitemus. Magnanimitas (inquit) est virtutū omniū ornamētū. At (inquā) quid tādē ornamēti accedit hominib⁹ laude prudētię, fortitudinis, justitię præstātibus, si illā opinionē conceperint, sese honoribus esse dignissimos. Hujusmodi opinio labē potius quā ornatū affert. Deinde quis nō potius crediderit cæteras virtutes esse magnanimitati ornamento, quā cęteris virtutibus animi magnitudinē? equidē civibus con-

consilio adesse, patriam fortiter tueri, munetibus justitiæ fungi, illustrius multo & excellentius est, quàm de meritis nescio quibus magnificè sentire. Sed magnanimitatem istam afferre multum reliquis virtutibus ornamenti non magis falsum est, quàm ratio id ad confirmandum adhibita, fallax planè & captiosa. Quis enim Aristoteli concesserit a magnanimitate cæteras virtutes splendidiores effici & ampliores? quæ vis esse potest in opinione magnificæ ad amplificandam virtutis dignitatem? Illud verò, ut magnanimitas cæteras virtutes ideo ornare dicatur, quia sine illis nullo modo constare potest, quàm est insipidum? Luna suo lumine privaretur, nisi radiis accensa solis luce compleretur: luna tamen solari corpori ornamento nō est. Ars laboretur & diffluereat, nisi præceptorum vi & methodica dispositione niteretur: an idcirco ars præcepta & lucem dispositionis exornat? immò totum contrà est. Nam theorematum perpetua veritas & dispositionis methodicæ accuratio artem reddunt illustriorem. Sed mittamus istud de ornamento tam jejunum sophisma: quo tandem jure ethicus informator magnanimitatem absque cæteris virtutibus non constare sed ex eisdem aggregatam esse obtinebit? an quia virtutes ita sunt inter se connexę atque implicatæ, ut qui unam habeat, is etiam cæteras assecutus sit? sit ita si placet: attamen & altera alterius essentiam non constitueret, & non magis in animi magnitudinem quàm in reliquas virtutes quadraret. Quid igitur est, quod magnanimitas e cæteris coagmentata virtutibus putetur? opinio certè demeriti honoris,

tis, quę omnem penè vim ſaltem præſtantiorem magnanimitatis partem complectitur, ſimplicem profectò naturam non e pluribus concretam & admiſtam habet. Aliis actionibus magnanimitas, aliis cęteræ virtutes acquiruntur. Quin & ſubjectum hujus eſt multiplicis concretionis expers: eſt aliarum virtutum ſubjecto diſſimilimum. Nec effecta, quæ magnanimitati tribuuntur, ulla admiſtione conſtant. Quid loquar de oppoſitis magnanimitati vitiis? illa non e cæterorum vitiorum concretione naſcuntur, ſed ſimplicem pravitatem complectũtur. Quod ſi e cæteris conflarentur, eſſent iis ſingulis immanitate & ſcelere ſuperiora: quod inficiatur Ariſtoteles. Quapropter ſi reliquis virtutibus nullum ornatum magnanimitas accerſet, ſi abſque illis conſtare poteſt: nihil in hiis peripatetico alicui occurrit, quò adduci poſſit, ut magnanimum ampliſſimis honoribus digniſſimũ eſſe arbitretur. Immò quid eſt, quod magnanimitatem Ariſtoteles ad expetendos honores alligaverit? Ecquis eſt e tanto philoſophorum numero præter Ariſtotelicæ diſciplinę familiam, ecquis e tanta hominum in repub. verſantium multitudine, qui non animi magnitudinem viris fortibus in gerendo res amplas, in deſpiciendo ſplendore externo, in rerum aſperrimarum perpeſſione occupatis attribuat? Ait Ariſtoteles nihil magnanimo videri magnum: ait ab eo honorem parvi fieri. Cur itaque animi magnitudinem ad conſectandos honores tam inſolenter abjecit? Virtus id habet, ut quæ nihil ad ſummum humanę vitæ finem conferre poſſint, ea aſpernetur & rejiciat. At quis unquam

quam dixerit gloriæ & honoris amplitudine hō minem in beatitudine persequenda adjuvari? Non est illa fortunæ viribus & potestati exposita: non sic comparata ut externam magnificentiam desideret: sed tota ab inani splendore remota nihil aliud præter animi bona intuetur. Sed de honore illo, quo heros peripateticus suo se jure dignissimum esse judicat, satis diximus. Quid opinio illa, quam de suis meritis magnanimus concipere dicitur, qualis est? Hoc certè ethicæ Aristotelis disciplinæ minus consentaneū est, cùm morales virtutes non in mente, quæ opinionis sedes est, sed in appetitu ab Aristotele collocentur. Quàm absurdum est quempiā laude magnanimitatis ornare, nō quia aliquid præclari amplíq; gessit, sed quia de re præclarè gesta magnificè opinatur. Non ille mihi minus excelso & invicto animo erit, qui magna & ampla promeritus, se tamen aut nullis aut mediocribus dignum esse judicat. Quare peripatericam istam magnanimitatem nō germanam effigiem clarissimæ virtutis, sed eminentē imaginem mirificæ vanitatis esse statuo. Atque ut Aristotelea magnanimitas, sic etiam Aristotelea magnificētia est variis sophismatis exornata. Dic enim mihi (ethice philosophe) quid causę sit cur a liberalitate magnificentiam specie distinxeris? Liberalitas (inquis) ad omnes pecuniarias actiones sese transfudit: Magnificentia ad sumptuosas duntaxat sese alligavit. Liberalitas itaque duplex erit: una in sumptu mediocri & exiguo: altera in sumptu amplo & splendido. Atquí verò cur non eo modo fortitudinem in species distinxisti? bellicæ res, in quibus fortitudo lumen

ostē-

ostendit suum, interdum sunt leviusculæ minúsque arduæ, interdum periculorũ difficultate horribiles. Ac proinde duæ fortitudinis species prò rerum objectarũ differentia ad Aristoteleã partiendi elegantiam fieri debuissent. Quid si grãmatista aliquis duplicem grammaticam confingeret, unam ad res Comicas interpretandũ, alteram ad explicandum res tragicas: ecquid Aristoteles grammatistam hunc tam turpiter in partiendo hallucinantẽ ferret? Vno eodẽq; artis grãmaticę præcepto & comicæ res & tragicæ explicantur. Sic uno eodẽq; liberalitatis habitu cùm mediocres in sumptu faciendo pecuniæ, tum amplissimæ erogantur. Porrò quid sibi vult futile illud magnificentiæ discrimen a liberalitate & a vitiis oppositis? Irriserim mehercule qui in grãmatica tradenda grãmaticarũ inter se actionum post uniuscujusq; definitionẽ & partitionẽ ostendit differentiã: quíq; de puri sermonis discriminatione a barbarismis altercatur. Illud item de paupere consectariũ quale est? quã admirabile? quã magnificũ? si magnificentiæ naturã habitu animi & affectione metiatur Aristoteles: quid obstat quo minus pauper sic animo cõformetur, ut magnificentię virtute antecellat? at dices habitũ magnificentię acquiri non posse, nisi ab eo cui magnę facultates suppetunt, quarum beneficio amplissimos sumptus faciat. mitto, quod acquisitio virtutis ad externas actiones alligetur: illud quæro cur externæ cõditionis discrepãtia, quæ in rerũ fortuitarũ numero cẽsetur, eã vim haberet ut aliquam e moralibus virtutibus, quæ omnium hominum ad culturã animi cõmunes sunt, ad certã personã revocare possit?

Equi-

Equidem virtus non magis est divitum quàm pauperum: ut nec vitium potius locupletis est quàm egentis. Sed de magnificentia satis. Quid jam restat ad disceptandum? multa arte egregia sunt: sed instituto meo satis videbor cumulatè fecisse, si in Aristotelicam dianoeticæ virtutis descriptionem inquisiverim. Age igitur: Quid est virtus dianoetica? Ea a peripatetico contemplationum artifica non definitur, gravissimum hercle in explicatione disciplinæ peccatum. Quot igitur virtutis in contemplando positæ, partes sunt? partitionem quandam video, sed Aristoteles ad hujus partitionis nescio quam exornationem multarum distributionum elegantias præmisit. Prima vim universæ virtutis generatim partitur, ut alia sit morum, alia cogitationis & intelligentiæ. Atquî in logica e subjectis distributione idem subjecti modus retinendus est. At hujus distributionis priore membro subjectum, circa quod versantur ethicę virtutes, comprehenditur: posteriore subjectum notatur, in quo virtus dianoetica innascitur, non circa quod vim ac nervos intendit. Quid quod posteriore etiam membro ejusmodi virtutes contineantur, quæ non hominis animum luce honesti & boni conforment, sed quæ in homines profligatæ perditæq; mentis cadere possint. At in partitione virtutum, quę vitæ beatæ rationem intuentur, non fuerunt illæ inculcandæ virtutes, quæ beatitudinem nõ attingunt: & quę non impediunt quominus qui eisdem præditus est, in summa improbitate versetur. Quod si etiam id ista partitione notetur, quod Aristotelicæ disciplinæ convenire

differunt

differunt peripatetici, ut scilicet subjecta sedes utriusque virtutis sic distinguatur, ut altera in mente, altera in parte nescio qua irrationali insidere putetur: huic divisioni singulare elenchū implicāt. Nam morales illæ virtutes etsi ad coercendas animi cupiditates moresque conformandos pertineant: tamen suam in mente sedem obtinent. Vnica tantummodo in homine mens est: mentis verò duplex facultas: quarum altera intelligentię est, altera voluntatis. Vt autem vitium depravatione intelligentiæ & voluntatis, sic omnis virtus conformatione intelligentiæ & voluntatis continetur. Huic distributioni distinctio animi in partes, alteram rationis participem, alteram rationis expertem adjungitur: antea mediusfidius & inaniter repetita: hîc verò nobis inversæ methodi sophismate rursum commendata: cùm superiori partitioni præponenda sit. sed remittantur ista. tertia partitio quænam est? Animi pars rationis particeps (inquit) duplex est: una, qua res necessarias & æternas intelligimus: altera, qua res contingentes & caducas percipimus. Atquî hercle unica est mentis facultas ad res omnes intelligendas communiter diffusa: ut unicus est in cœlo sol, cujus luce res singulæ colluſtrentur. Sed operæpretium est hujus distributionis confirmationem attendere. Res (inquit) necessarię æternęque & res contingentes sub diversis generibus continentur: itaq; eas a diversis animi partibus cognosci necesse est. O mirificum theorici doctoris acumen. Si quis aciem ferri alicujus ita partiretur, ut diceret aliam esse aciei partem qua vites amputarentur: aliam, qua pan

nus discinderetur : annon partitionis elenchum miraremini, cùm una eadémq; ferri acies possit utrunque conficere? Sic eadem mentis facultate res toto genere discrepantes intelliguntur & explicantur. Pergamus verò :& in quartã partitionem inquiramus. Tria (inquit Aristot.) sunt in animo, quæ actionis & veritatis dominatũ obtinent: Sensus, Mens, Appetitus: quanquam ex tribus (ait) sensus nullius actionis principiũ est. Hoc perinde est, ac siquis diceret: Tres sunt homines, qui disciplinarum cognitione præstãt, Socrates, Plato, Aristoteles: quanquã ex hiis tribus Socrates nullius cognitionis laude excellit. Hoccine est distribuendi genus philosopho dignum? Hoccine est prudenter & cogitatè loqui quæ sentias? Tria sunt inquis: & tamen duo tãtum sunt. Si duo solummodo sunt, cur tria esse tam inconsideratè dixeris? si tria, cur unum adhibita correctione tam iniquè detrahis? Ecce verò quàm non satis eruditè a principio edendæ actionis facultas sentiendi removeatur. Sensus (inquit) non est principium actionis in bellua: ideóq; non est omnino principiũ actionis. Taceo de antecedente parte, etsi sit illa quidẽ falsa & nugatoria: illã ex antecedente consequentiã præterire non possum. Quid si ita dixerã? Auditus nõ est principiũ disciplinæ & cognitionis in bellua: non est igitur omnino principium in ullo alicujus disciplinæ. Pulmo, lingua, dentes non sunt in bellua loquendi instrumenta: itaq; nec omnino loquendi instrumenta sunt. An istiusmodi consequentiæ ratio Aristoteli probaretur? Annõ diceret a toto aliquid perineptè removeri, quia parti alicui non convenit? Atq; hæ sunt quatuor illæ partitiones: quæ distributioni dia-

dianoeticę virtutis prę mittuntur. Quorsũ verò quatuor partitionũ tot sophismata in unum accumulentur, peripateticus aliquis dicito. Agedũ, virtus ad contemplandũ sevocata, quomodo dividitur? Habitus (inquit) intelligẽtiæ numero quinq; sunt, quibus verũ animus enuntiat aiẽdo vel negando: ars, scientia, prudentia, sapientia, intelligentia. Quæ ferè divisionis labes est, quam huic partitioni partitor iste non asperserit? Potuit ad dichoromiã revocari: at est multarũ partiũ numero confusa. Ac si horũ membrorũ unoquoq; veritas enuntietur, manca profectò est & mutila. Ecquid enim veritatem non eloquuntur tã liberales illæ & ingenuæ artes, quàm mechanicæ & sordidæ? ecquid opinio veritatẽ no enũtiat? nõ ignoro opinioni munus enuntiandæ veritatis ab Arist. detrahi: sed elencho singulari. Opinione (inquit) ut mẽtiatur animus evenire potest. Ideóne ó philosophe, veri enuntiatio nõ est opinionis? immò longè secus est. Nã si ut opinione mentiatur animus evenire potest: quãdo hęc ele id in re enuntianda non evenit, evenit ut animus opinione verũ proloquatur. Sed ecce in ista partitione sophisma redundantiæ indigni? quiddã est. Quis dixerit prudẽtiã in vero enuntiãdo sitã esse? cũ ex Aristotelis judicio in actionib? vitæ cõmunis tota versetur: nec ea quæ vera sunt aut falsa, sed quę homini bona aut mala, contempletur. Deinde quid est, quod artes mechanicæ veritatem dicantur enuntiare? cùm totæ in opere faciendo consistant. Textor si verum enuntiat, id non facit ex arte textili: non magis quàm pictor, si dapibus scitè concinnandis daret operam, id facere ex artificio picturæ diceretur. Fateor a qualibet arte enuntiari

veritatem: id autem fit non propria artis facultate, sed vi & ratione logicę dispositionis. Quod si tota ratio veri enuntiandi a logica axiomatis dispositione pendeat: axiomatis autem dispositio simplex duntaxat sit aut composita: profectò veritatis enuntiandæ ratio bipartita tantum erit: alia in simplici axiomate, alia in composito. Hîc prętera non possum quin admirer cur animi contemplatio ad veritatem solummodo restringatur. Nihílne præterea est quod contemplemur? Quid Platonica divinæ Ideæ excellentissima contemplatio? sive admirabilem illius in fabricandis operibus potentiam, sive exquisitissimam justitiam, sive incredibilem bonitatem intueamur? Quid humanæ vanitatis consideratio, quàm insignis est? Cui non summam voluptatem attulerit quodam doloris sensu temperatam, ad rerum vicissitudinem, ad civitatum conversiones, & cætera ejusmodi animum convertere? Quare Aristoteli de ista partitione assentiri nō possumus. Agedum, quomodo partitionis membra explicantur? Quid est Arsꝛea enim est e rei distributæ membris prima. Sed inversa methodo pro arte scientiæ tractatio arripitur. Cujus non ante definitionem proponit, quàm subjectum exposuerit. Docet igitur, quod scientia comprehenditur, id necessarium esse. Quod scimus (inquit) id se aliter habere nequit: quod itaque scimus, necessarium est. Antecedens enthymematis commentum e schola est. Nam cujuslibet causę cognitio, sive fortuita sit sive necessaria, rei scientiam parit. Pars consequens prosyllogismo exornata est. Quæ (inquit) necessariò sunt simpli-

pliciter, ea ſunt æterna. Res ſcientia comprehenſæ ſunt neceſſariò ſimpliciter. Ac proinde res ſcientia comprehenſę ſunt æternæ. De propoſitione vehementer dubitarim. Cœlum enim non fortuito, ſed neceſſitate ſimplici movetur: ab æterno tamen non extitit. Aſſumptionis nõ minor elenchus eſt: cum ſcientia rerum fortuitarum eſſe poſſit. Explicato ſcientiæ ſubjecto, ſcientię definitio adjungitur. Scientia (inquit) eſt habitus ad rem demonſtrandum idoneus. At (inquam) ſi demonſtratione paritur ſcientia, ut in analyticis diſſeritur, quomodo dicetur ſcientia habitus eſſe ad rem demonſtrãdam? quomodo poteſt & demonſtrationis effectum eſſe, & tamen tanquam cauſa demonſtrationem antecedere? De apodixi alio loco diſſeruimus. Pergamus igitur. Quid tandem ſequitur? certè artis theoria. Ars (inquit) eſt habitus cum vera ratione conjunctus ad faciendum idoneus. Primùm illa artis & ſcientiæ diſtinctio ſcholaſtici ingenii ſubtilitatem olet, veritatem uſus non ſapit. Deinde ut ars habitus dicatur, id non min⁹ alienum eſt. Habitus enim perceptionem uſũque artis potius notat, quàm illius eſſentiam accuratè complectitur: quę catholica præceptorum veritate & luce methodicæ diſpoſitionis continetur. Tum ut ars vera ratione nitatur, id ſatis arti non eſt, poteſt enim id vera niti ratione, quod fortuitæ naturæ eſt. At vel in mechanicarum artium præceptis requiritur, ut nunquam in errorem artificem deducant. Quod hercle fieri poteſt, ſi contingentem veritatem comprehenderint. Exornatio hujus definitionis e ſubjecto attexitur, Verſatur Ars (inquit) in origine

& molitione rei. Rectè. Sed artes non solùm novas rerum formas producunt, & id quod non erat concinne fabricantur: sed ex earum consilio & id quod deficere cœpit, reficitur, & de aliorum operibus judicamus. Quinetiam versatur (inquit Arist.) ars in rebus tantummodo contingentibus, quarum efficiens causa ut sint tales externa est, ipse nempe artifex: non autem in rebus necessariis aut iis quæ naturâ cõstant. Quid est cur artes in iis, quę natura constant, minimè exerceri dicãtur? res (inquit) naturales habẽt principiũ motus in seipsis inclusum. Ac proinde res naturales sibi propositas nõ habẽt. De antecedẽte etsi libenter philosopho assentior, tamen video ipsum a sese levissimè dissentire. Nã physicus æternitatum architectus putat elementa non a seipsis sed ab aliis moveri: cap 4. lib. 8. Phy. & secundum caput libri secundi de cælo, principium motus rebus inanimatis planè detrahit. Consequentia verò enthymematis ejusmodi est, ut Aristotelis ingenio non satis digna videatur. Vtrũ enim ligna, & metalla, quæ ab artificibus peratificiosè poliũtur, naturâ cõstãt? Quod si naturâ constent, principium motus in se habere necesse est. Annõ in iis omnibus versatur ars quarũ efficiens ut artificiosę sint externa est? At inquam efficiens ut res vi naturæ constantes ad elegantiã artificii elimentur, externa est. Nimis diu in artis contemplatione hæremus. Prudentia quid est? Est habitus (inquit) ad agendum idoneus, in iis se exercens quæ homini bona aut mala sunt. Prudentissime contemplandi magister, quid agis? annon dianoeticis virtutibus contemplatio veritatis proposita est? cur igitur prudentiam

am à contemplanda veritate ad agendum traduxisti? cur eandem e dianoeticorum habituum numero exclusam ad ethicas virtutes relegasti? Habeo mehercule gratiam, quòd nobis misellis in sole non umbra, in societate non solitudine victuris ad lumen actionibus nostris & consiliis præferendum magistram vitę prudentiam reliquetis. Verùm reliqua contemplatio audiatur. Quid est intelligentia? Intelligentia (inquit) non est scientia, non est ars, non est prudentia, non est sapientia. Sanè verò: topicæ disciplinę cantilenam agnosco. Genus non est definitio: nòn est accidens: non est proprium. Sed quid obsecro est intelligentia? teneo enim quid non sit. Intelligentia est (inquit) qua principia intelliguntur. Quænam hęc est in animo tam confusa & perturbata facultatum distinctio? Vna eadémque Mentis facultate cùm principia tum e principiis conclusa intelliguntur: quamvis propter naturę in utrísque rationem, in illis claram adeo & illustrem, in hiis dubiam & incertam, illa unica animi facultas dissimili munere in judicando fungatur. Quid est, cur scientia principiorum non sit? Scientia Aristotelica ad rem demonstrandam valet. Quid tum? sic etiam intelligentiæ principia rei demonstrandę vim habent. Deinde cur munus cognoscendi principia detrahitur sapiẽtiæ? Sapientia (inquit) rerũ nõnullarũ demonstrationẽ expedit? ideóq; nõ est principiorũ. Sic geometria est linearum: nũquid idcirco superficiẽ suis præceptis nõ interpretabitur? Ipse docet sapientiã tã esse principiorũ quã scientiæ per demõstrationẽ e principiis derivatę.

Sed progrediamur adhuc: & ſapientiam cõtemplemur. Sapientia (inquit) eſt habitus ex ſcientia & Mente compoſitus. Atquî verò ſapientiſſimè contemplator, cur non habitum ex arte & prudentia conflatum ſimiliter effinxiſti? potuit hercle ſextus contemplator iſtum in numerum aggregari. Vt ſapientię inter omnes virtutes principatus deferatur, ſapientia cum prudentia comparatur. Qua in comparatione pro ſapientię palma & gloria philoſophus ſtrenuè digladiatur. In quibus (inquit) ſapientia verſatur, ea multo præſtantiora ſunt iis, in quibus prudentia elucet. at quid ita? quia (inquit) ſapientia res eas contemplatur ex quibus hîc mundus coagmentatus eſt, ut cœlum, ſtellas, elementa: prudentia autem circa homines verſatur, quos affirmat a præſtantia earum rerum, unde mund⁹ conſtat, longe abeſſe. Immò verò, cùm tota vis ſapientiæ cognitione principiorum & rerum neceſſariarum demonſtratione vertatur, quî fit quod ad contemplandum cœleſtes orbes, ſydera, elementa traducatur? ſapiens inquam tuus quaſi Syſiphius demonſtrator eſt: rerum orbis terrę contemplator non eſt. Id enim ſi fecerit, extra cancellos illos, quibus illum circundediſti, evagabitur. Illud verò cur dicitur, cœleſtes nimirum orbes, ſtellas, elementa hominibus antecellere? annon hæc omnia ad hominis uſum ſunt conſtituta divinitus? annõ homo diviniſſimæ cujuſdam naturę particeps eſt? Stellæ equidem orbéſque cœli præſtanti quadam naturę puritate excellunt: attamen ab excellenti humanæ mentis ſplendore longiſſimè ſuperantur.

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO
Joanni Piſcatori Argentinenſi
G. T. Sa. Di.

Animadverſiones tuæ in P. Rami Dialecticam (ornatiſſime Piſcator) tantum apud nos & tam illuſtre nomen conſecutæ ſunt, ut qui Piſcatorem neſcierit, nihil in dialecticis exquiſitum ſcire videatur. Ego certè pro eo quo logicæ diſciplinæ veritatem amore complector, tantùm tibi tribuo, quantum excellentiſſimo philoſopho tribuere debemus. Nam quæ duæ res ad ſummam laudem poſſunt valere plurimum, eæ profectò in te elucent ambæ, libertas judicii, & ingenii magnitudo. Illa fecit ut te ab eorum hominum erroribus vindicares, qui nihil ſolent ad illuſtrandas diſciplinas præter jejunam ſubtilitatem & Ariſtotelis nomen afferre: hæc ita nos afficit ut certe admiremur, & præclari deinceps aliquid cupidiſſimè expectemus. Quod ſi P. Ramus reviviſceret, & tuam in expoliendis dialecticis excellentem cupiditatem intueretur, equidem gratularetur ipſe ſibi, & Ioanni Piſcatori ſeſe permultum debere fateretur, quòd ad ſuum ſtudium limandę veritatis dialecticæ induſtria Piſcatoris acceſſiſſet. Neque verò tibi verendum erat, ne erroris animadverſio minus ei jucunda accideret. Fuit ille vir, ſi quis alius, in ſtudium diſceptandæ veritatis, & erroris profligandi tantopere incitatus, ut ſi quid aliquando accuratius occurriſſet, ſive id ipſe inveniſſet, ſive ab alio vel infimo accepiſſet,

vehementius lętaretur. Atque hoc planè Rameum est, & pati se de errore admoneri, & lætari si ab aliquo corrigatur. Dum igitur te ad Rami dialecticam perpoliendam & erroribus liberandam retulisti, fecisti profectò illud quod Petrus Ramus factum voluit, & ii etiam facere debent, qui Rameæ disciplinæ instituta sequuntur, id est, studium excolendæ veritatis profitentur. Quanquam hercle, utcunque fueris in animadversionibus illis cum summa laude versatus, tamen nescio quo modò non illæ mihi ita satisfaciunt, quin putem posse a Ioanne Piscatore eruditissimo homine exquisitius aliquid perfectiúsque proferri. Ac proinde scribere ad te non alienum videbatur, & vehementer rogare, ut qua luce ingenii omnia ferè assequeris, eadem in logicis Rami paulò accuratius disceptādis utare. Atq; ut id eo alacrius suscipias, exponā quid mihi in animadversionibus tuis non tantopere probetur. Quod eo libentius facio, cū propter alios qui id a me contenderunt, tum propter P. Baronem non modò perfectum in theologia magistrum, sed hominem etiam cæterarum artium laude excellentem, qui mihi ad istud suscipiendū author accessit. Cui quidem id olim contigit quod jam tibi. Nam cùm relictis elegātiis paripateticæ familiæ ad Rameæ institutionis disciplinam accessisset, & jam P. Ramo propter similitudinem studiorum ac ejusdem gentis cognationem familiariter uteretur: incidit ille quidem in eas fere difficultates, quibus tu Rami dialecticam irretitam esse disseris. Mihi etiam de nonnullis in mentem subinde venit dubitare:

bitare : ſed tamen ipſe me ſuſtineo, ne quod propter infirmitatem judicii non aſſequor, id propter temeritatem condemnaſſe videar. Quid ergo? Quod in Ramo non auſim, id in Piſcatore audebo? Condemnare animaverſiones tuas non audeo : Immò probo & laudo: ſed ita tamen ut earum pleriſque non valdè aſſentiar. Scripſi igitur ad te ut illud tuum divinum acumen diligentiſſimè in omnem partem excites : ut mihi homini adoleſcenti & in literarum ſtudiis vix mediocriter verſato aliquid impertias diſciplinæ tuæ. Quod facilimè conſequere, ſi quæ a me pro Ramo leviſſimè diſſeruntur, in iis erraviſſe me docueris. Nam ea medius fidius inſtituti mei ſumma ratio eſt, non ut te refellam, ſed ut a te in iis quę neſciam erudiri poſſim. Age igitur : & quid mihi in animadverſionibus tuis minus probetur, attende. Non placet tibi Ramea artis Logicæ definitio. Quid ita? Quia & vox illa *bene* redundat & diſſerendi verbo non omnis logicæ doctrinæ vis comprehenditur. Redundantiam eſſe vis, quoniam idem tibi expreſſum videtur, quod artis Vocabulo continetur. Veréne iſtud a te dicatur videamus. Artis integra natura præceptis & præceptorum methodo conſumitur. Nam ſi arti præcepta perpetuæ veritatis, homogenea, partibus reciproca & ad elegantem ordinis formam revocata conceſſeris, nihil a te ad ſuam ipſius conſtituendam eſſentiam requiret amplius. Atqui verò quod arti tanquam ſummum bonum proponitur, id nullam partem e materia formáque conſtitutæ artis aſſumit. Quid enim?

enim? eequid finem constructi ædificii materia ejusdem ac forma aliqua ex parte contineri dicemus? Tu cùm fini nomen externę causæ affingis, eúmque extra effectum consistere, non autem effecto inclusum esse disseris: non vis hercle aliquam finis partem materia rei compositæ formáque comprehendi. Sed quamlibet artem habitum esse dices bene agendi. Quid tum? Illa εὐπραξία, quæ finis est cujusvis disciplinæ, nulla ex parte materia aut forma artis continetur. Quod verò de arte generatim dicitur, id ex lege καθόλου πρώτου speciatim in dialectica explicatur. Artis finis est bene agere: dialecticæ verò bene disserere. Quæ ergo (inquies) vocabulo *Bene* subjecta vis erit? Equidem illius actionis, quæ totius artis viribus efficitur, perfectionem notabit. Perfectio autem hujus actionis nónne ab arte profecta est? Quis negat? non tamen in ipsa arte inclusam esse concedo: nisi fortasse quicquid ab efficiente in effectum transfunditur, id efficiente comprehendi fatendum sit. Neque interim ἄλογον est ut eadem actio & effecti & finis rationem obtineat. Verùm tu ista videris ornatissime Piscator: ego satis assecutus sum si te ista quasi velitatione, quę ipsi mihi non tantopere probatur ad illustriorem quandam explicationē provocaverim. Agedum: Vox illa disserendi non arridet. Tropum esse non inficior. Sed ita illustris tropus est, ita in disertissimis authoribus frequens, penè ut vox illa non tropo modificata, sed a natura ad eam significationem facta videatur. Quid tropo illo declaretur, nemini obscurum esse potest. Omnem profectò dialecticæ vim comprehen-

hendit, ſive rei inveniendæ conſilium ſpectes, ſive diſpoſitionis alicujus in enuntiato & ſyllogiſmo & methodo rationem conſideres : adeò ut tropi hujus rejiciendi juſta cauſa ſubeſſe non poſſit. Sed tua hujus definitionis correctio quænam eſt ? Ais dialecticam melius definiri artem docendi. Non valdè repugnarem, niſi docere nihil aliud tibi eſſet, quàm enuntiato quæſtionem declarare vel ſyllogiſmo eandem demonſtrare. Ex quo fit ut allata abs te definitio καθόλου πρώτου non ſit. Nam qui dialecticam ſic definit, is rem generalem per duas in re generali comprehenſas particulas interpretatur. Dialecticæ definitio ad omnes dialecticæ partes cõmuniter attinebit. At ubi in tua definitione argumenti inventio ? ubi methodi diſciplina ? utraque certè excluſa eſt, cùm tibi docendi ratio enuntiati & ſyllogiſmi uſu tota vertatur. Non minus mihi tua illa de materia & forma dialecticæ aliena videtur explicatio. Materia (inquis) dialecticæ argumenta ſunt. Quod ſi materiam, quæ ad logicæ artis ſtructuram requiritur, intelligis, (ut certè intelligis) dabis veniam ſi a te diſſenſerim. Nam in conſtituenda dialectici artificii fabrica, ipſa præcepta materiæ rationem obtinent: Quod ex artis definitione perſpicitur. Sed quæ forma dialecticæ ? argumentorum (inquis) cum quæſtione diſpoſitio. Non placet hercle. Artis enim forma toti arti convenire debet. Hanc verò quam affers, nec capere inventio, nec ſuſtinere enuntiatum, nec methodus ferre poteſt : immò verò nec doctrina ſyllogiſmi. Vbi ergo argumentorum cum quæſtione diſpoſitio conſiſtet ? Cujus rei forma erit ? Certè operis

ris illius, quod syllogismi præceptis contexitur. Nam in eo ad vim consequentiæ deducendam quæstio cum argumento perartificiosè disponitur. *Argumenti* definitio satis tibi accurata videretur, nisi arguendi vocabulum displiceret. Vsurpetur si placet κατασκευαστικὸς (in quo tamen non valdè tibi assentior.) Quid tum? Nullum certè ex omnibus vocabulis aptius huic loco, nullum elegantius occurrit. Nunquam ego declaramẽtum illud tuum vel documentum cum verbo arguendi ulla ex parte conferendum putabo. Hîc de duplici usu argumenti sic disputas, tanquam P. Ramum planè fugisset: atsque ab eo declarationis & argumentationis distinctionem minimè explicatam esse. Etenim in comparatorũ animadversionibus istam P. Ramo inscitiã attribuis. Quid dicam? Nulla mihi ingenio Piscatoris indignior animadversio visa est. Quorsũ illa P. Rami de axiomate instituta præcepta? Quorsũ tot locis & tam solicitè contendit alia enuntiati judicio explicari alia disceptari syllogistico? Quorsum de sophistarum vanitate conqueritur quod omnem logici judicii usum ad syllogismi subtilitatem transtulerint & alligarint? Ecce Piscator a Piscatore refellitur. Arguere (inquis) Ramo significat non solùm veritatem alicujus affirmationis aut negationis demõstrare, qui vulgaris hujus verbi usus est: verumetiam rei cujuspiam naturam declarare seu explicare absque ullo syllogismo. Fateris igitur duplicem argumenti usum, alium in declaratione, in demonstratione alium fuisse P. Ramo cognitum satis & exploratum. Vt verò

tuam

tuam de argumenti bipartito uſu ſententiam magis illuſtres, rem univerſam a capite repetitã & tuis præceptis comprehenſam velut ob oculos proponis. Hoc nempe modo:

Dialectica eſt ars docendi.
Quod ad docendum proponitur, vocatur quæſtio.
Quod ad docendum adhibetur vocari poteſt documentum.
Documentum eſt duplex, declaramentum aut argumentum.
Declaramentum eſt documentum, quod adhibetur ad explicandum quæſtionem ſimplicem.
Argumentum eſt documentum, quod adhibetur ad explicandum quæſtionem conjunctam.

De logicæ artis definitione jam diximus. De ſubjecto dialecticæ lautius quiddam & ſplendidius requiro. Nam ſi explicatio ſubjecti informanda fuit, equidem ejuſmodi ſubjectum notari debuit quod generale eſt & totius artis commune. At quæſtio non eſt inventionis, non ſemper axiomatici judicii, non methodi ſubjectum. Vbi igitur hîc κεφάλαιον πρῶτον? Deinde præceptum quæſtionis, utpote quæ ex argumentorum conjunctorum ambiguitate oriatur, in arte dialectici judicii exponendum fuit. Quod quia alibi fit, id κεφάλαιον non eſt. Perge verò. Documentum eſt duplex, declaramentum aut argumentum. Non probas mihi iſta quæ dicis.

Au

An una eadémq; res pro duplici usu duplex statuetur? idem equus arationi scilicet & vecturæ deservire potest: ideóne in duo genera distrahetur? An sequana Parisiensis propter multiplicem usum multiplex erit? sed mittatur partitio: & partitionis membra separatim persequere. Primò definiatur quid sit declaramentum. Peracta res est. Tum in partes tribuatur. Quomodo igitur declaramentum partiris? haud dubiè in causas, effecta, subjecta, adjuncta, dissentanea, cõparata, & reliqua e primis istis derivata. Bene est. Postquam omnes declaramenti species singillatim explicaveris, argumenti tractationem aggredere. Definiatur consimiliter: deinde in membra dividatur. Sed in quę obsecro? an in illa ipsa in quæ declaramentum distinguitur? At rem transactam repetis, & dissidentibus generibus eadem species affingendo distributionis legem violas. Quòd si alias argumenti partes constituis, quàm quæ declaramento tributæ jam sunt, veras argumenti species prætermittis. Vides quid ego in tua illa logicæ artis inchoata delineatione desiderem. Tu verò ad elegantiorem deinceps animadversionem meditare. Quin etiam illud attende recténe argumenta per se considerari dicantur. Reclamas. Cur tandem? quia argumentum (inquis) sine eo quod arguitur esse aut intelligi non potest. Quid Ramus velit non assequeris. Rationes solæ & per se consideratæ hîc dicuntur, quę non in unam sententiam conjunctæ, sed liberæ ab axiomatica dispositione spectantur: adeo ut etiamsi mutua relatione contineantur, possint tamen absolutè & per se, id est, enuntiato non dispositę consi-

derari.

derari. Non minus in prima argumenti partitione reprehendenda erravisti. Argumentum artificiale aut inartificiale a Ramo efficitur. Hîc propter membri posterioris falsitatem distributionis elenchum esse vis. Atquî verò Rami sententiam non satis acutè interpretaris. Non enim testimonium ideo inartificiale dicitur, quia nulla ars illius inveniendi traditur (quorsum enim id a Ramo diceretur cùm excogitandi testimonii ratione præcepto comprehenderit) sed quia arguendi vim ab artificialibus assumit. In Ramea causarum tractatione non pauca corrigis. Ad perficiendam causæ definitionem verbum *Fio* adjungendum esse putas: quasi particula illa (nempe *Est*) non cujusllibet causæ in effecto constituendo vim satis enucleatè complecteretur. Nam quod novam causę partitionem effinxeris, & in ea finem materiæ formæq; præposueris, vide ne dum partitionis elegantiam consecteris, a lege methodi desciviſſe videare. Nam si rei effectæ finis extiterit, necesse est præcessisse materiam & formam: at si materia fuerit, non ideo sequitur finem esse. Nec si in re componenda de fine primum cogitetur, idcirco cæteris causis naturâ prior dicetur. Efficientis prima distinctio quibusdam a te partibus amplificata est. Ego partitionem illam, si defuerit, non valde desiderem, si adfuerit, non magnopere recusem. Fuit illa quidem P. Ramo comperta: sed illius judicio nõ tantopere necessaria videbatur. Brevissimè admonere satis erat, præsertim cùm illorum contrariorum ea ratio sit, ut alterum ex altero sta-

tim elucescat. At verò cùm tuam in formæ partitione diligentiam attendo, venit mihi in mentē Horatianum illud: Aliquando bonus dormitat Homerus. Quid enim? Qualem nobis formę distributionem exhibes? Logica forma est entium & non entium communis. Tu in forma partienda duas particularis Entis species proponis: Formam scilicet rei physicæ seu naturalis, & externam corporis figuram, sive id naturâ sive artificio constet. In quo omnes illæ de artis materia formaq; leges violantur. de finis distributione quid loquar? Quod Ramus judicio quodam seponendum e dialecticis putavit, id tu denuò reponis. De partitionum veritate non pugnabo: de necessitate adduci non possum ut assentiar: præsertim cùm una eadémque de fine præceptio ad quemvis finem cognoscendum & intelligendum commodissimè possit satisfacere. Quod verò ad parem rei explicandæ & illustrandæ facultatem attinet, quam in subjecto & adjuncto esse vis, in eo mihi non persuadebis, nisi aliqua ad authoritatem tuam ratio accesserit. Illud certè ausim dicere, quod abs te affertur, id κατα παντος non esse. Nam virtutis vtilitas magis e subjecto, in quo exercetur, quàm ab adjuncta laude illustratur. Est etiam in consequenti animadversione, quod non valdè approbem. Duas illas particulas (*Omni* & *Semper*) in proprii definitione redundare disseris: quia proprium est quod soli convenit. Primò aliquod de qualitate pręceptum in adjunctorum loco subtili & accurata definitione comprehendere, id nunquam Petro Ramo logicæ discipli-

næ

ne leges ſequenti propoſitum aliquando aut eſt, aut eſſe potuit. Nam qualitas ſpecialis adjuncti rationem notat. Ac proinde Ramus de qualitate non ſic præcepit tanquam eſſet argumenti inveniendi viam traditurus, ſed ad illuſtrationem præcepti illius quod adjuncti definitione comprehenditur, ut alia quædam adjuncta, ſic qualitates recenſuit & adhibuit: in quarum proferendo exemplo communem loquendi conſuetudinem ſequutus eſt. Deinde utcunque iſta a Ramo dicantur, certè animadverſionis tuę ratio mihi non facit ſatis. Propria qualitas (inquis) eſt, quæ ſoli ſubjecto convenit. At iſtud non eſt κατὰ πρώτον. Anima vitæ, ſenſus rationis particeps ſoli homini convenit: anima tamen non eſt propria hominis qualitas. Vlmus ſoli terræ actis radicibus innaſcitur: ulmum tamen in propriis terræ qualitatibus minimè opinor numeraveris. Verùm reliqua perſequamur. Diſparatorum in liberalitate & avaritia exemplum reprehendis. Adverſantur (inquis) non diſparantur. Affirmationis argumentum expecto. Quanquam quid expectem, cùm hoc ipſum a te de contrariis agente iterum refellatur? Mihi liberalitas & illiberalitas adverſa ſunt: ſpecies verò illiberalitatis in avaritia eſt liberalitati diſparatum, cùm non e regione eidem adverſetur. Neque verò e prima Tuſculana ad contradicentia illuſtranda exemplum illud non ſatis conſentaneum videri debet. Fatetur tandem Atticus mortuos miſeros non eſſe. Quo argumento hanc confeſſionem ab Attico

expressit Marcus? Annon argumento contradictionis? Sanè verò. Nam quamprimùm admonitus a Marco se contradicentia locutum esse animadvertit, fateor (inquit) quoniam extorsisti, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse. At si quis ita differat, mortui non sunt, ideóque ne miseri quidem, eum a subjecto differere contendes. Sit ita. Quid? An idcirco Marcus contradictionis argumento illam Attico confessionem non extorsit? Mortui sunt, mortui non sunt, contradicentia esse concedes. At quorsum ista contradictio explicatur? Equidem aut nullo consilio, aut idcirco ut istam de qua loquor confessionem ab Attico Marcus eliceret. Non absimilis in privantibus reprehensio est. Exemplum istud (*Semper eris pauper si pauper es, &c.*) e Martiale productum abjudicandum & tollendum esse censes: quoniam hujus argumenti consecutio (ut ais) non e natura privantium sed proprii dependet: nam sublata nota proprii consecutio non valet. At (inquam) Pauper & Dives privantia sunt: utrum verò rectè consequatur, id ille viderit, qui argumentum e privantibus ad quæstionis demonstrationem petit. Sed quid est cur argumentum, a proprio esse putes? Particula (Solus) si per se spectetur, propriam semper qualitatem non designat: designet tamen si libet: an ideo a Martiali in illo disticho adjuncti argumentum adhibetur? Si dixeris, dicas etiam necesse est argumentum illud (SOLOS DIVITES) esse vel pauperibus vel opibus adjunctum. Sed ut pauper & dives, sic vita & mors, tacere & loqui, in privantibus

tibus numeranda ſunt. At parium (inquis) collatione tractantur. Quid tum? Quaſi in iſtiuſmodi exemplis non duplicis affectionis ratio ſpectari poſſit. Si eorum oppoſitionem, quæ e mutua diſſentionis affectione eluceſcit, conſideres: poſſunt ad præcepti de contrariis expoſiti illuſtrationem referri. Sin verò ipſorum in pari quantitate comparationem attendas, nonnullam ad præcepta parium demonſtranda vim afferunt. Pervenimus jam tandem (eruditiſſime Piſcator) ad comparatorum animadverſiones tuas: in quibus es accurationem quandam ſecutus, ſed neutiquam meo judicio conſecutus. Rami præcepta tanquam inania & nullo judicio tradita animadverſiones tuę ſuſtulerunt. Nunquid etiam & nova pepererunt? Certè nova. Non enim in ſeſe aliquid Rameæ ac veteris elegantiæ complectuntur. Id facilimè intelligemus, ſi allatas abs te comparatorum definitiones excuſſerimus. Age igitur: proponantur, & poſſintne logicarum legum ſeveritatem ferre videamus.

Argumentum (inquis) a pari eſt, cùm in antecedente & conſequente enthymematis par eſt ratio veritatis, ſeu par probabilitas.

Argumentum a majori eſt, cùm enthymematis antecedens eſt magis probabile quàm conſequens.

Argumentum a minore eſt, cùm enthymematis antecedens eſt minus probabile quàm conſequens.

Hæc est illa tua in comparatorum explicatione tam insignis accuratio: ad quam refellendam quid a me in genere disputetur attende. Primò definitionibus istis, non quæ sit essentia & natura comparatorum, sed quę vis sit consequentiæ cum enthymemate disponuntur, disertè explicatur: adeo ut judicandi comparati non autem inveniendi præceptum tradideris. Deinde qui per syllogismi antecedentem & consequentem argumentum logicæ inventionis definit, an non præposterum quiddam in definiendo & heterogeneum consectatur? Dialecticæ inventionis argmentum est antecedente ac consequente syllogismi multo prius & generalius. Tuæ verò definitiones ejusmodi sunt, ut si admittantur, antè explicanda ac cognoscenda syllogismi doctrina sit quàm tradi de comparatis præcepta intelligíque possint. Præterea cùm singulorum comparatorum singulę definitiones ita instructę sint, ut non omnibus in suo genere comparatis conveniunt, nónne lex illa κατα παντος violatur? At definitiones istæ quas affers, comparatis illis minimè conveniunt, quę tu ad declarationem rei adhiberi vis, sed iis solùmodo quę syllogisticæ demonstrationi inserviunt. Quod verò ad majoris & minoris definitionem attinet, utraque in alia etiam argumenta cadit. Nam si quis hoc modo argumentetur: Catilina est doctus, ideóque bonus: hic enthymematis antecedens est magis probabile, quàm consequens: nulla tamen a maiore argumentatio est. De hoc porrò enthymemate quid dicemus: Satrapas non potest sufferre tantos sumptus: tu

igitur

igitur non potes. An probabilius eſt minus in Satrapi ad perferendos ſumptus ineſſe facultatis quàm in homine mediocris fortunæ? Equidem hujus enthymematis & cæterorum ſimilium, quibus tu argumentum a majore contineri vis, antecedens minus probabile eſt. At dices probabilius eſſe Satrapam poſſe ſufferre tantos ſumptus, quàm alium quempiam inferioris conditionis hominem. Concedo: ſed illud addo conſecutionis rationem jam planè mutatam eſſe. Satrapas poteſt ſufferre tantos ſumptus: quid hinc conſequetur? An illud? Tu igitur potes. At (inquam) tibi argumentatio a Majore ſemper negando conficitur. An ergo illud? Tu igitur non potes. At ejuſmodi a majore conſecutio ridicula fuerit: & allatis abs te Majorum axiomatis minimè conſentanea. Quocirca in comparatorum, animadverſionibus aſſentiri tibi non poſſum, præſertim cùm de quolibet ferè enthymemate, ſive comparato ſive ſimplici argumento concludatur, id dici poſſit, antecedens eſſe vel pari cum conſequente probabilitate vel impari.

Sequitur diſſimilium animadverſio. In diſſimilibus exemplum e prima Virgilii Ecloga deſumptum adhibita correctione perpolis. Vt canibus Catuli, &c Ais diſſimilitudinem non eſſe, niſi ita explicetur: Non ut canibus, Catuli, ſic Mantua Romæ ſimilis eſt. Atqui verò Ramus contractam diſſimilitudinem non explicatam eſſe vult. Mantua (inquit) non eſt Romæ ſimilis. Diſſimilitudo iſta contracta, eſt a paſtore Virgiliano illuſtrata ſimili. Vt nec canibus Catuli, nec matribus hœdi, ſic nec Mantua Romæ ſimilis eſt. Quam affers de ſubalterno genere

& subalterna specie divisionem, veram esse fateor, sed minimè necessariam. Hîc Ovidianum de Animalium divisione exemplum minus idoneum esse putas: quia in eo non generis in species divisio, sed distributio a subjectis continetur. Mihi secus videtur: Nam primò genus in species tribuitur: tum unaquæque species subjecto loco illustratur. Appendix illa, quam distributioni subjecisti, suis ipsa viribus planè concidit. Nam ais te de vocabulorũ ambiguorũ significationib⁹ præcipere. At distinguere ambiguam vocem in sua significata non est artis dialecticæ, quę disserendi præcepta tradit, sed hominis potius Lexicon aliquod meditantis. Sed enim in testimoniorum animadversionibus mirificam subtilitatem exprompsisti. Vide tamen quanta ex ista subtilitate emerserit cõfusio. Doces testimoniũ quatuor modis dividi posse: a forma: ab efficiente: ab objectis: ab adjuncto. Istas ego divisiones nescio quid magnæ confusionis complexas esse disputo. Nam quælibet testimonia sive verbis aut factis contineantur, sive promissiones aut confessiones fuerint, sive cum jureiurando aut sine iureiurando extiterint, quęlibet inquam testimonia divina sunt vel humana: adeò ut testimonii ab efficiente distributio cætera omnia comprehendat. Deinde promissio & confessio verbis continentur, aut factis repræsentantur: & utraque cum verbis continetur, est pronuntiata aut scripta. Sic divina & humana testimonia verbis aut factis ferè consistunt. Porrò e prȩcedentibus testimoniis quodlibet

est

æst cum jurejurando aut sine jurejurando. Ac proinde in hac quadruplici testimoniorum distributione logicæ disciplinę leges negliguntur. Immò & methodi inversio isthuc accessit. Nam illa ab efficientibus distributio præcedere debuit. Si enim author sit a quo testimonium proficiscí potest, non tamen enumerata illa testimonia esse sequitur. De vi probationis, siquis in genere perexiguam esse dixerit, id tibi κατα παντος non erit: quia testimonium verè divinum vim probationis habet maximam. De authoritate divini testimonii, maximam illam esse libentissimè fateor & prædico. at quæ ratio? certè non tam propter nudum testimonium, quàm propter adjuncta perpetuò artificialia argumenta. Cùm enim Deus testatur, is profectò testatur, qui infinitæ semper potentiæ est, qui res universas quantumvis abstrusas ac reconditas accuratè cognoscit, qui errare fallíque non potest, qui arbitratu suo res singulas hoc illóve modo & creavit olim & creatas sapientissimè administrat. De Ramea humani testimonii divisione non luctabor tecum. Mihi καθολικα πρωτον nunquam fuit. Hactenus tuæ in logicę inventionis præcepta animadversiones productę sunt. In animadvertenda judicii doctrina non ita multus es. Vtrum axioma affirmatum an affirmans dici debeat, levis est controversia: major est illa de veri axiomatis definitione. De veritate definitionis Rameæ confiteris, sed tuam accuratiorem esse judicas. Mihi tua non satis videtur instructa commodè. In hoc enuntiatio, Quanquam Piso est doctus,

tamen improbus eſt, diſſentanea affirmando cõponuntur, attamen verum axioma eſt. At fortaſſe dices ratione vinculi diſjungi iſta diſſentanea. ſit ita. Dicamus igitur hoc modo, Non quanquam Piſo eſt doctus, tamen eſt improbus. Vides jam diſſentanea utroq; modo diſjungi: falſum tamẽ enuntiatum eſt. at ex tua definitione verũ eſſe debuit. Diſtributio veri axiomatis in contingẽs & neceſſarium a te nõ immeritò reprehenditur: non enim καθολὸυ πρῶτον eſt. Hoc Ramus ipſe animadvertit, ut & cętera ſi quæ ſint conſimilia. Sed quomodo adhibita correctione ſubtilius limabitur? Agedum. In axiomate diſcreto ais te a Talęo diſſẽtire. Ille negationẽ diſcreti putat eſſe poſſe legitimã cõtradictionẽ cõnexi affirmati. at tu iſtud non probas: quia antecedens connexi non verè affirmatur, ſed affirmatio ejus fingitur: at in diſcreto negato antecedens conceditur eſſe tanquã ſimpliciter & verè affirmatum fuerit. At (inquã) cùm diſcretũ negatũ affirmato connexo contradicit, illius antecedens non alio modo conceditur & ponitur, quàm antecedens connexi, ut in illo exemplo quod affers. ſi abeſt a culpa, caret tamen ſuſpicione: Quanq̃ abeſt a culpa, non tamen caret ſuſpicione. Perinde eſt ac ſi diceres, Si abeſt a culpa, vel detur abeſſe a culpa, non tamen ſuſpicione caret. In diſjunctis inſuper elenchum quendam animadvertiſti. Ramus generatim ait ſignificari e diſjunctis unicum eſſe verum. Tu id κατα πάντος non eſſe diſſeris: quia in eo diſiuncto, in quo diuiſio de genere diuiſo enuntiatur, falſum eſſe conſtat. ut omne animal rationale eſt vel irrationale. Hìc (inquis) non ſignificatur e diſiunctis unicum eſſe verum. Immò verò, Piſcator, & in hoc diſiuncto

iuncto illud ſignificatur. Nam ſi illud diſiunctionis membrum de animali quovis verum fuerit, hoc certè de eodem falſum erit: cùm utrumq; nulli animali conveniat. Sic e contingentibus diſiunctis unicum eſſe verum mente concipimus & ſignificare volumus. Sed ut falleris cùm axioma iſtud falſum eſſe dicis in eo diſiuncto, in quo de ipſo genere enuntiatur diviſio: ſic non minus erras, cùm verum eſſe contendis in eo tantùm diſiuncto, in quo diviſio enuntiatur de ſpecie generis diviſi. Equidē in omni e diſiunctis diviſione parem veritatē obtinet, ſive ſit diviſio generis in ſpecies, ſive ſubiecti in adiuncta, aut adiuncti in ſubiecta: præſertim cùm Ramus non diſſerat unicum e diſiunctis ſemper eſſe reipſa verum, alterum falſum: ſed id ab enuntiante ſignificari & intelligi e diſiunctis propoſitis unicum eſſe verum. Vtcunq; a te meritò reprehendantur cætera, equidē ſyllogiſmi ſimplicis in affirmatum & negatum partitio reprehendi non debuit. Non eſt (inquis) καθ' ὅλου πρότ. At (inquā) in ſyllogiſmo compoſito nulla ratio habetur affirmationis & negationis, ſi exceperis id quod de propoſitione compoſiti præcipitur, ut nempe pro perituò affirmetur. Quod in ſyllogiſmo compoſito reliquum eſt, id totum aſſumendo & tollendo conficitur: id verò quod aſſumitur tollitúrve, utrum affirmatum an negatum ſit, nihil intereſt. In ſimplici ſyllogiſmo aliter res habet: quia ſcilicet ex affirmatione & negatione ratio conſequentiæ depēdet. Quod cùm minime fiat in cōpoſito neceſſe non eſt ut affirmationis & negationis affectio ad ſyllogiſmum compoſitum tranſferatur. Sed demus

demus conuenire compoſito ut affirmatus & negatus dicatur. Quomodo affirmatum compoſitum definies? an ex affirmatione omnium partium? at nullus tum e diſjunctis erit affirmatus, an ex affirmatione duarum? at tum diſjunctus ſemper affirmatus, nunquam negatus erit. an ex affirmatione unius? at hoc modo omnes compoſiti erunt affirmati. Quomodo etiam negatus compoſitus definietur? an ex negatione omnium? at propoſitio compoſiti ſemper eſt affirmata. an ex duarum negatione? at non conuenit diſjuncto. an ex negatione unius partis? cujus tandem? ſi concluſionis: non cadit in primum diſjunctum. Si alicujus ex antecedentibus: quid eſt cur ſyllogiſmus nomen negati potius ab aliqua antecedentis parte, quàm a concluſione acciperet? Difficultates iſtæ nõ patiuntur ut affirmationis & negationis affectio communis ſyllogiſmi ſimplicis & compoſiti efficiatur. Conſimilis error eſt in ſequenti partitione ſyllogiſmi ſimplicis. Eundem Ramus in generalem, ſpecialem, & proprium partitur. Partitio a te rejicitur, quia duo poſteriora membra ſunt conſentanea. quomodo obſecro conſentanea? proprius (inquis) eſt ſpecies ſyllogiſmi ſimplicis. At (inquam) longe erras, ut e definitione ſpecialis, quæ proprio ſyllogiſmo nõ poteſt attribui, potes intelligere. Generis autẽ definitio ſemper ſpeciei convenit. Id te fefellit, quod in diviſione enuntiati ſimplicis ſpeciale enuntiatum genus efficiatur particularis & proprii. Vocabuli igitur ſimilitudo errorem peperit. Expoſui jam (ornatiſſime Piſcator) de animad-

madverſionibus tuis quid ſentiam. In quo ſi id aſſecutus ſim, ut te ad uberiorem Rameæ diſciplinæ explicationem, & ad depromendum aliquid e tuis præclariſſimis ſtudiis, unde ego multa poſſim meam ad utilitatem petere, vehementius excitarim: cepiſſe me e literis hiſce ad te datis per hercle magnum fructum putabo. Vale. *Dat. Londi.* 12. *Cal. Iul.*

FINIS.